BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
26 E
16
QV
4
14. 11. D. 2

Themiſtii Euphradæ

PHILOSOPHI PERIPATETICI ORATIONES OCTO ELEgantiſsimæ, ac eruditione varia refertiſsimæ.

A

HIERONYMO DONZELLINO PHILOſopho ac Medico Brixiano, in Latinam linguam è Græca nunc primùm uerſæ, & planiſsimis argumentis illuſtratæ.



BASILEAE.

APVD PETRVM PERNAM

ANNO M. D. L. I X.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ORATIONVM ELENCHVS

Explorator ſeu philoſophus Oratio I.
ἐπιτάφιος, hoc eſt funebris in patrem ſuum. Orat. II.
De amicitia. Orat. III.
Sophiſta. Orat. IIII.
De clementia Theodoſij Imperatoris in ſenatu habita. Orat. V.
De ſtudio Regis in diſciplinis percipiendis. Orat. VI.
Adhortatio ad philoſophiam. Orat. VII.
Reprehenſio importunitatis, qua quidam eum ex tempore orationem habere uolebat. Orat. VIII.

IN THEMISTIVM PETRI COEMITERIJ Belgæ Tetraſtichon.

Legerat Euphradæ titulum, nomenq; diſerti:
Vide Sophos grande hoc? Itala Pallas ait.
Magna parens nobis tandiu ne inuideris illum?
Debuimus ne illo nos caruiſſe bono?

AD NOBILISSIMVM AC PRAESTANTISSIMVM VIRVM HVLDRICVM FVGGERVM KIRCHbergę, & Vueiſſenhorni comitem, Hieronymi Donzellini Philoſophi ac Medici, in Themiſtij orationes Latinas à ſe factas Præfatio.

SAPIENTIAM, *ornatiſſime Vir ac prudētiſſime, præclaro* Dei Opt. Max. *munere mortalium generi conceſſam, non tantùm diuina oracula teſtantur, ſed veterũ etiam ſapientum illi, qui & meliores & præſtantiores ſunt habiti, monumentis literarum prodiderũt. Cum enim humanus animus in craſſo hoc tenebroſoq; corpore, tanquam in quodam carcere aut labirynto concluſus ſit, & affectibus, veluti cancellis impeditus, niſi porrecto illi diuino auxilio, ceu* Theſei *filo, in apertam lucem prodire non poteſt. Heraclitus porrò veritatem in profundiſſimo puteo demerſam dixit, quam ſolo aureo ac cæleſti hamo ac fune nobis liceat expiſcari.* Idem *quoque prudens antiquitas voluit indicare, cùm* Prometheum *è cælo ignem ad nos detuliſſe commenta eſt: quo hominem antea luteum atque inanimum, viuum, ſpirantem, ac vegetum fecit. Diuina nimirum prouidentia ſapientiæ lumen ad nos demiſſum ita ſignificauit: atque illum propterea Caucaſo alligatum fuiſſe fabulantur, & accerrimi vulturis morſui ac roſtro cor ſuum habuiſſe perpetuò expoſitũ, quòd ſcilicet altiſſimis meditationibus ita deditus fuit, vt dies & noctes grauibus philoſophiæ cogitationibus ani-*

BIBLIOTECA ROMA VITTORIO EMANUELE

mum ac mentem ſuam torqueret ac fatigaret. Eam uerò in tegram, perfectam, ac omnibus numeris abſolutam, in primis humani generis parentibus extitiſſe, & naturæ integritas, quam initiò ſunt adepti, et ea permanēte perpetua, quæ illis cū Deo fuere colloquia, perſuadere nobis debent. Et quamuis vitiata poſtmodum natura, ſapientiæ lux fuerit obſcurata, non diu poſt tamen, felici nuntio ac promiſ-
Gen. 5. ſione denuo inſtaurata atque accenſa fuit. Cùm autem primus ille hominum ſator & conditor tamdiu ætatem ſuam produxerit in his terris, vt multa ſecula perdurarit, ac propterea numeroſam nepotum ac pronepotum ſuæ ſtirpis ſeriem ac multitudinem uiderit, & ratio, & pietas docet, illum nō ita inuidum aut iniquum erga poſteros ſuos fuiſſe, vt myſteria ac ſapientiam, quam à Deo acceperat, celare illos voluerit. Veriſimile potius uideri nobis debet, de Deo, de Angelis, de dæmonib., de duplici hominis ſtatu, de aſtris elementis, ſtirpibus, animantibus, de vniuerſa denique natura, atque additis rerum cauſis, & frequentes & eruditas ad filios ac nepotes ſuos conciones habuiſſe. Sic igitur ſuccedentibus ſibi ætatibus, ac patribus filios ſuos edocētibus, propagata fuit ſapientia uſque ad Noam, quem Veteres Ianum, antiquiſſimum deorum omnium, hoc eſt, principū parentem appellarunt: quemadmodum præter reliqua argumenta, ac veriſſimum hiſtoriæ teſtimonium, antiqua etiā numiſmata declarant, in quibus nauis arcam referens eſt inſculpta; & ipſe gemina facie conſpicuus apparet, quo, duo illa ſæcula diluuio intercepta, eum aſpexiſſe ſignificatur. Hic autem etſi primum illum hominum parentem non vidit, aliquot tamen ſecula cum eo uixit, qui cum illo fuerat diu verſatus. Quare integram adhuc ſapientiam ab eo
Gen. didiciſſe eſt certiſſimum. Is porro tres filios dicitur habuiſ-
9. 10. ſe, à quibus tanquam à tribus fontibus genus humanum fe-

ciſſe

ciſſe diuortia,ac uniuerſum terrarum orbẽ,aquarum inũdatione iam ſublata,fuiſſe frequẽtatum, diuina vox docet. Cùm autem nulla ſcriptura, ſed ſola traditione,tum ſapiẽtia conſtaret,ipſos à parente edoctos poſteritatẽ docuiſſe, rationi eſt conſentaneum. Cùm itaque & ipſi & eorum proles in diuerſas regiones diſsipata,omnibus mundi nationibus initium dederit, ſapientia ita per ſucceſsionem ac traditionem ad poſteros tranſijt,vt ſacrificia, ritus,ac ceremoniæ docent, quibus vnaquæque natio Deum *colere ſempèr ſtuduit.Matrimonij præterea à* Deo *initio inſtituti ius apud omnes gentes inuiolatum ac ſacroſanctum vberrimam eiusdem rei fidem facit. Quamuis cum linguarum* Gen. 11. *diuerſitas iam orta eſſet,& pauci illi,qui ſapientiam retinebant longis locorum interuallis à ſe inuicem diſsiti, mutuis colloquijs eam fouere ac nutrire non poſſent; factum eſt,vt partim obliuione ſit extincta doctrina,partim hominum inſcitia,aut temeritate obſcurata, aut fabuloſis vulgi rumoribus corrupta & contaminata: preſertim cùm non ſcripta, ſed viua tantùm uoce quaſi per manus tradita ad ſucceſſores dimanaret. Id tamen non tam ſtudio ac voluntate factum eſſe exiſtimandum eſt, quàm caſu potius, dum veritas à ſuo fonte recedens fit per omnes diffuſa deterior, affigente vnoquoque aliquid, aut quæ audiuit non recordante. eandemq; par eſt, fuiſſe cauſam deprauandæ veritatis, quæ rerum ſolet eſſe aliarum. Nullus eſt enim rumor aut fama,quin fiat,quanto magis ſpargitur,& ab auctore diſiungitur fabuloſior.Idemq; caſus antiquiſsimam ſapiẽtiam doctrinamq;,tanquam rapidus torrẽs euertit,ac plurimum labefactauit.purior tamen atque ſyncerior in ijs regionibus manſit,vbi primùm homines & nati ſunt & educati. Cæterùm humani generis primordium in Armenia, Meſopotamia, Chaldæa atque Aſſyria fuit: ibiq; ante di-*

luuium duntaxāt homines vixerūt. Poſtea verò eæ ipſæ terræ, quas antea tenuerant, primùm habitatæ ſunt, Aßyriæq; gentis & Medæ & Armenæ nepotes Noæ conditores fuerunt. Ab his diffuſi paulatim ſunt in omnes terras ac diſtributi coloni: qui ſapientiæ theſauros ſecum attulerunt, eodemq; progreſſu, & mortalium genus & ſapientia eſt propagata: in ipſo tamen, vt dixi, fonte, vnde in alios eſt deriuata, clarior ac limpidior permāſit. Chaldæi itaq;, apud quos philoſophiæ ſeu ſapientiæ duces Magi ſunt appellati, totius orbis fuerunt præceptores, & diuinarum atque humanarum rerum ſcientiam perfectißimam habuerunt, quòd eam ab iis didiciſſent, qui non multis ſeculis ab eo diſtarēt, qui integram ac abſolutam à Deo illam acceperat: nec ea incommoda ſuſtinuerant, quæ cæteri in omnes terras dißipati, linguarum ſcilicet uarietatem, ac locorum diſtantiam ac interualla, à quibus in alijs nationibus ſapientiæ puritatem nō mediocriter fuiſſe uitiatam conſtat. A Chaldæis ad
Gen. 11. *Hebræos, ea deinde eſt trāslata. Noæ enim nepos ac Semi filius Arphazadus fuit, à quo genus ſuum trahunt Chaldæi. Semi verò nepos Heber fuit, à quo Hebræi. & ab iis origi-*
Gen. 17. *nem ducit Abrahamus natione Chaldæus, qui à Deo circūciſionem accepit: qua deinde Hebræorum populus ab omnibus orbis nationibus fuit ſeparatus ac diſtinctus. Quemadmodum autem ſapientiam ipſe à Noa, eius filijs ac nepotibus didicit, ita eum tradidiſſe illam ſuis poſteris minimè*
Gen. 39. 46 *dubitamus. Deinde verò cùm Ioſephus primùm, mox etiā Iacobus ac tota eius familia in Aegyptum demigraret, eò ſimul etiam ſapientiam tranſtulerunt. Vnde poſtea factum eſt, vt ſapientiæ nomine Aegyptij ſemper celebres fuerint: quanq̄ nō ſola traditione fuerint eruditi, ſed propriæ etiā inuentionis laude hæc natio antiquitus fuerit commendata. Ab Aegyptijs poſtea ad Græcos ea peruenit. Apud quos*

certè

certè,quò magis à ſuo fonte atque origine remotior, eò etiam contaminatior fuit. Cùm tamen Græci & ingenio & eloquentia præſtarent, quæ ex traditione acceperant, ex naturæ rerum contemplatione ita auxerunt, exornarunt ac locupletarunt, vt aliam ac longè diuerſam, quàm quæ à patribus accepta fuerat, ſapientiam nobis fecerint. Etſi nõ obſcura purioris illius doctrinæ veſtigia etiam apud illos ſemper fuerint ſeruata. At verò Græcam nationem, Iones, Cyprios, Rhodios, à Iapeto Noæ filio, & Iaone, Cethimo ac Rhodanimo eius nepotibus conditã fuiſſe antiquorũ hiſtoriæ teſtantur, quos certè ſapiẽtiam à maioribus acceptã, in Græciam ſecum attuliſſe eſt veriſimile. Quoniam uerò primo illo ſeculo propter inopiam rerum uitæ neceſſariarum, artiumq́; nondum repertarum imperitiam alia ſequebantur, nec literis uacare poterant, facilis fuit obliuio. Ab Egyptijs igitur potius quàm à ſuæ gentis conditoribus ſuam Græci ſapiẽtiam acceperunt, eamq́; aut ab illis antea corruptam, aut uerò quam ipſi malè intellectam multis fabulamentis corruperunt: fieri verò etiam poteſt, vt ea quæ apud priſcos illos Græcos circunferebantur, ac puriorem doctrinam referebant, etſi à nonnullis meliore ingenio ac iudicio viris fuerint accepta & perſcripta, multis tamen caſibus intercepta perierint, ut peruenire ad poſteros omnia non potuerint. Cadmum ſanè ex Phænicia in Græciam primum literas græcas attuliſſe, ac Phænices græcæ linguæ primos fuiſſe inuentores Ioſephus ſcribit. Ex eadem Phænicia, Linum doctrinas in Græciam deportaſſe grauiſſimi authores tradunt. Orpheus eius auditor & Græcè ſcripſit, & multa etiam Græcos docuit, quem poſtea ſequutus eſt eius filius Muſæus. Atlas ex Libya Aegypto finitima aſtrorum ac cæleſtium mo tuum ſcientiam in Græciam dicitur attuliſſe. Homerus quoque omnium artium ac ſcientia-

rum ueluti fons exundantiſſimus, & diuinam & humanã philoſophiam exactiſſimè viſus eſt calluiſſe, & gentem ſuã de rebus maximis inſtituiſſe. Heſiodus *etiam Muſarum tẽpli ſacerdos in* Helicone *multa cum de natura, tum de moribus ſaluberrima præcepta* Græcis *dedit. Sed nihil oſtendunt Græci antiquius Sybillinis oraculis, quæ certè & de religione & de moribus vtiliſſimas admonitiones poſteris reliquerunt, ut patet in hiſce earum carminibus, quæ publicè iam edita leguntur, & à* Lactantio *etiam recitantur. Sybillas autem omnes à pijs maioribus* Chaldæis *atque* Aegyptijs, *à quibus ſunt oriundæ, vaticinia ſua deſumpſiſſe, vel vna illa omnium celeberrima* Cumana, *atq; etiam* Erythrea *olim appellata perſuadere nobis poteſt. hanc ſiquidẽ* Beroſi *illius* Babilonij, *qui Chaldaicam hiſtoriam ſcripſit, filiam fuiſſe tradunt: & ex* Babylone *profectam in* Italiam *veniſſe, & Cumis* Campaniæ *ciuitate prope* Baias *vaticinia ſua ceciniſſe, quæ cùm* Plato *etiam perlegiſſet, eius authoritate ita fuit permotus, ut vatibus ac fatidicis diuinam quã dam vim attribuerit: vt in* Memnone *ac* Phædro *apparet vbi etiam apertam eius Sibyllæ mentionem facit: eius certè oracula* Prophetarum *vaticinijs proxima fuiſſe* Iuſtinus

In admonitione ad Gentes. *Philoſophus teſtatur.* Huius *ac reliquarum Sibyllarum carmina ac præcepta de moribus, quum poſterior ætas negligeret, à* Phocilide *ne perirent, dicuntur fuiſſe collecta, quæ à* Platone *etiam valde ſunt commendata.* Quæ *verò* Heſiodus *de Chao ſcribit, certò certius ex* Patrum *doctrina, quæ de mundi creatione in piorum hominum animis adhuc vigebat, ſunt accepta.* Orpheum *autẽ atq;* Homerum *in* Aegypto *fuiſſe, atque illic archanam illam philoſophiã didiciſſe antiquiſſimus author* Diodorus *ſcribit, atque ideo cũ* Orpheus *antea infinitam* Deorum *turbam inuexiſſet, in vera ſapientia* Aegyptiorum *inſtitutus, mutata ſententia,*

& facta

& facta palinodia, de uno uero ac ſolo Deo carmina illa pulcherrima cecinit, quæ apud Iuſtinum Philoſophum legũtur. Cæterùm Homerum Aegyptiacis diſciplinis poeſin ſuam decoraſſe ac illuſtraſſe idem Diodorus ſcribit: quare quæ ſub fabularum inuolucris, tam multa de Dei ſapientia omnipotẽtia, ac prouidentia ab Homero deſcribuntur myſteria, cultus præterea, ceremoniæ, ſacrificia, quæ ab eo tã magnifico verborum apparatu, commemorantur, & ſacris literis vſqueadeo ſunt conſentanea, non aliam originẽ quàm patrum traditionem videntur habuiſſe. Et ſi autẽ numeroſam Deorum prolem recenſet & fabuloſa ac diuino nomine indigna de illis dicit, quales tamen Deos illos eſſe putet, multis in locis docet: præcipuè verò cùm ſub Phœnicis perſona his verbis Achillem alloquitur.

Nec ſi pollicitus fuerit Deus hæc ſenioris — Iliados. 9.
Depoſiturum æui mala tempora, & appoſiturum
Rurſus præteritæ iuuenilia robora pubis.

Alibiq; dum principum multitudinem malam aſſeuerans, vnicum dominum eſſe oportere ſtatuit hunc in modum.

Non multos regnare bonum: rex vnicus eſto, — Iliados 2.
Vnius imperium, cui Iupiter aurea magnus
Sceptra dedit, iuſſitq; ſuis dare iura tuendis.

Quo eius carmine, ad vnius Dei monarchiam conſtituendã Ariſtoteles etiam eſt vſus. Dum autem Iouem è ſummo cælo tumultuantem Aten deturbaſſe dicit, atque in ima tartara ſempiternum præcipitaſſe, nónne quod ſacra oracula de adiurato illo humani generis hoſte ſcribunt, ſe legiſſe apertè declarat? cùm illum nimis elatum atque inſoleſcentem è cælo ad inferos à Deo fuiſſe detruſum, eiſdem penè verbis Eſaias narrat. — Eſaiæ 14. Luc. 16.

Iliados 19. *Actutum comptis Aten cepiſſe capillis*
Dicitur iratus, ſtabilem iuratus auernum,
Nunquam ſtelligeros rediturum rurſus in Axes:
Sic fatus, celſo Damnum detruſit Olympo.

Mundi etiam creati principium ex Moſe ſumptum in Achillis clypeo manifeſtè expreßit, dum Vulcanum in eo veluti geneſeos mundi imaginem quandam delineaſſe ſcribit, ſingula eius ac præcipua membra diſertißimè atque elegãtißimè enarrans, his uerbis.

Iliados. 18. *Hic etenim ignipotens ſtruxit maria, æthera, terras,*
Ardentem ſolem, plenæ quoque lumina lunæ,
Atque coronatum ſignis fulgentibus orbem.

Antequam tamẽ prudens poeta ad hanc ſigillatim factam orbis partium enumerationem accedat, obſcurius ac veluti ab vniuerſali & confuſa quadam ratione incipiens, rerum primordia nobis ſignificat, dicens: Achillis clypeum à Vulcano quincuplicem fuiſſe cõſtructum: quo certè nihil aliud Lib. primo *uoluit, quàm id quod in lib. de Cælo Ariſtoteles etiam docuit. quinque ſcilicet ſimplicia corpora mundum hunc cõſtituere, quatuor elementa, atque ipſum cælum. Hoc verò cum Aſtronomi in tres potißimum partes diſtribuant, quarum ſuppremam* ἀναστρὸν, *mediam,* ἀπλανὴ, *infimam* πλανήτας *uocant. hoc quoque noſter hic noluit præterire, cùm triplici orbe extimam clypei oram fuiſſe obductã ſcripſit: quam etiam* φαεινῆν, *ac* μαρμάρεῆν *appellans, de cælo ſe intelligere palàm facit. Atqui cùm in diuinis literis nihil frequentius memoretur, quàm Dei robur, vis, potentia, ſtabilitas, immobilitas, atque immutabilitas, nullibi tamen tam graphicè exprimitur, quàm ab Homero, vbi Deos ac Deas omnes Iupiter hunc in modum alloquitur:*

Quare

Quare agite vt mea dicta omnes uera eſſe ſciatis Iliad.lib. 8
Aurea de cælo mittatur longa cathena,
Quam cuncti manibus prenſantes Dijq́; Deæq́;,
Detrahite in terram ſuperis me ſedibus vnum:
Vanus & ille labor, vires fruſtrabitur omnes.
Vanus & is conatus erit, veſtra irrita virtus.
Idem ego ſi cupiam ſurſum huc trahere omnia poſſum,
Vos omnes, terras ſimul, & lata æquora ſolus.
Ad ſummas cæli partes dein recte ligata
Omnia pendebunt, atque hinc ſuſpenſa manebunt:
Tantùm homines ſupero propria uirtute Deosq́;

Terreni etiam atque omni delitiarum genere affluẽtis paradiſi imaginem in horto Alcinoi, veluti illic adſeruatam effinxit, quem ſemper floridum, & plenum fructibus, ſimilitudine quadam oſtendit, cùm de eo ita ſcribit:

Hîc nemora emittunt procero è ſtipite flores, Odyſſeæ 7.
Punicei fructus, & olentia mala, pyriq́;,
Et dulces ficus, & blandæ germina oliuæ,
Queis neque deperijt & fructus, nec deſinit vnquam.
Non æſtas, hyemesq́; nocent: verùm aura Fauoni
Perpetuum ſpirans, hos profert, deijcit illos,
Atque pyrum, veteri ſic pomo poma ſeneſcunt:
Atque recens paſſis ſuperaduenit vua racemis.
Ficubus adduntur ficus, & vinea diues,
Frugiferum teneris germen radicibus effert.
Huic ſoboles Phœbi radijs contacta caleſcit,
Hanc manibus carpunt: ex illis muſta tepeſcunt.
Illi deciduus flos, huic matura propinquat
Aetas, ut patulis refluat vindemia labris.

Enimuero quæ de gigantibus, ac turris Babylonicæ ſtructura, qua eius ſæculi homines æternam ſibi famam atque

Odyſſ. 11. *aditum in cælum parari poſſe exiſtimarunt, ſacris literis prodita ſunt, nónne hic noſter per Othum & Ephialten allegoria quadam egregiè eſt imitatus? quem locum eiſdem penè verbis Virgilius latinum fecit, additis tantùm aliorũ gigantum nominibus, ac Homericos illos duos fratres appellans.*

Georg. lib. primo. *Tum, partu terra nefando.*
Cœumq́; Iapetumq́; creat, ſæuumq́; Typhœa,
Et coniuratos cælum reſcindere fratres.
Ter ſunt conati imponere Pelio Oſſan,
Scilicet atq; Oſſæ frondoſum inuoluere Olympum.
Ter Pater extructos disiecit fulmine montes.

Odiſſ. 11. *Cæterùm quæ Vlyſſes in ſua Necyomantia apud Alcinoũ de Tityo, Siſypho, & Tantalo recenſet, extremum Dei iudicium, ac mortuorum reſurrectionem Homero minimè fuiſſe incognita manifeſtè docent. Cùm enim humana illis membra attribuat, in quibus ſæua etiam ſupplicia pati illos aſſeuerat, non de animis tantùm, ſed de integro homine ſe loqui oſtendit: id quod ab illo uniuerſali iudicio diuini Vates futurũ canunt. Sic igitur Primi Græciæ ſapiẽtes à Phœnicibus atque Aegyptijs eruditionem ſuam acceperunt.*
Metaphyſ. lib. 1. *ijq́; fuerunt ferè poetæ quos Ariſtoteles θεολογίζοντας ſolitus eſt appellare. Secuti ſunt poſtea Philoſophi, cùm ſcilicet exactius ac diligentius philoſophari gens illa cœpit. ac*
Ammon. in prædicam. *tum ij in varias partiti ſunt ſectas, quæ aut à ſuo principe, aut à loco, aut à modo, aut fine philoſophandi ſunt denominatæ. Præcipui autem fuerunt Edonici, Ephectici, Epicurei, Stoici, Academici, Peripatetici: ſed temporis progreſſu reliquæ ſectæ extinctæ ſunt, ac tres tantùm poſteriores fuerunt exculte, ac ſectatores claros viros habuerunt. Igitur felici hoc ſeculo, non tantùm ſeptem illos celebratiſſimos ſapientes habuit Græcia, ſed innumeros etiam alios: quorũ*

cum

cùm ſcripta interierint,ſola nomina apud Laertium, Stobæum,Ariſtotetelem ac ac Platonem nobis ſuperſunt.Omnium tamẽ celeberrimi fuerunt Solon,qui Athenienſib. leges tulit, Thales, Pythagoras, Anaxagoras, Empedocles, Parmenides,Socrates,& Plato. Quos omnes in Aegyptũ nauigaſſe,& ex diuinorum Vatum libris eruditos, ingentes ſapientiæ theſauros in Græciam reportaſſe, authores grauiſsimi,tam ſacri, quàm etiam prophani memoriæ prodiderunt.Cùm autẽ ſapientia res ſit ampliſsima,cui vnus homo vix par eſſe poſsit,ſinguli illam vniuerſam minimè ſunt perſecuti,ſed alij in alia eius parte potiſsimùm ſe exercuerunt.Hinc Thaletem naturalis philoſophiæ principẽ fuiſſe Socratem uerò circa mores occupatum naturæ contemplationem neglexiſſe,Ariſtoteles ſcriptum reliquit. Hos deinde ſecutus Plato, vtramque ſibi perſequendam duxit: Hic autem duos habuit ſummos ſapientiæ magiſtros,Philonem Hebræum,ac Mercurium Triſmegiſtum:quorum prior in Chaldaica,poſterior in Aegyptiaca ſapiẽtia princeps fuiſſe dicitur.Quantum ex Philone Plato fuerit edoctus,illud apud Græcos iactatum,declarat ἢ πλάτων φιλωνίζει, ἢ φιλῶν πλατωνίζει:Ex Mercurio autem Triſmegiſto deſumptum eſſe quidquid in Platone admiramur, qui antiquorũ monimenta excuſſerunt teſtes nobis ſunt locupletiſsimi.Eũ Plato in Phædro,ac Philebo Theuth vocat,&diuinum hominem fuiſſe,& ab Aegyptijs tanquam Deum habitum dicit.Plurima etiam de diuinis ac naturalibus rebus commẽtaria illum ſcripſiſſe Iamblichus ſcribit,quæ tamen temporum iniuria deſiderantur. Qui igitur ex his fontibus Platonis doctrinam emanaſſe intelligent, nulla iam admiratione afficientur,cum ea quæ diuinis literis ac pietati conſentanea ſunt,reperient in eius libris.In primis enim, quod antea à Pythagora ſub μοναδὸς, à Parmenide verò (qui

Metaphyſ. lib. 1.

*quamuis ea in re ab Ariſtotele reprehenſus, à Simplicio ta-
men eius interprete fuit defenſus) ἕνος ὄντος nomine, de v-
vno Deo celebratum fuit dogma, eſt ſecutus, qui etiam nul
la alia voce Deum nominauit, quàm ea ipſa, qua ſe Deus a-
pud Moſen appellandum cenſuit, cùm ſe ὤν vocauit. Sed
in ea quoque diuina eſſentia, quam aptius explicare non
potuit, quàm hac voce ὤν, hypoſtaſeῶn diſtinctionem il-
lum nouiſſe, & Proclus & Plotinus, germani illius ſecta-
tores atque interpretes affirmant. nomine enim cauſæ, ac
rerum omnium principij patrem ſignificat. Secundam aũt
in Deo hypoſtaſin, mentem, verbum, ac filium etiam vocat
Diuinum autem ſpiritum pijs hominibus diuinitus demiſ-
ſum, poteſtatem ſeu virtutem in Memnone appellauit, vo-
ce & diuinis literis & poſterioribus etiam Theologis vſur*
Luce vlt. *pata. Triplicem tamen in diuina natura hypoſtaſeῶn diſtin
ctionem, ad Dionyſium ſcribens viſus eſt attigiſſe, quem-
admodum meliores Platonici interpretantur, quanquam
obſcurè ſatis, &, vt ipſemet profitetur, per ænigmata ſit lo
cutus. Quæ uerò in Timæo de mudi origine & creatione
ſcribit, diuinæ hyſtoriæ vſqueadeo conſentiunt, vt qui utrã
que legerit, hinc illam fuiſſe deſumptam facilè ſit conceſſu-*
In Parmen. *rus. Idæas quoque idem commentus eſt ex repetita illa
formæ atque exemplaris mentione, quæ in Moſis hyſtoria*
Exod. 25. *continetur: Vt cùm ei præcipitur, ut eiuſmodi conſtituat ta
bernaculum, quod formæ illi ſit ſimile, quæ antea in mon-
te fuerat ei oſtenſa. Sed ea in re fuit deceptus, nec eam rectè
perpendit, aut uerò non ab ijs, qui rem intelligerent, fuit
edoctus. Ex eo enim quòd rem artificialem eius ſpecies an-
teceſsit, ita etiam rerum omnium naturalium ſpecies ſepa-
ratas eſſe, ac præire oportere falſò iudicauit: ac propterea
Ariſtotelem ſummi ac ſolertiſsimi ingenij virum ea in re sẽ
per ſibi habuit aduerſarium, ac non tantùm uiuo Platone
magna*

magna inter illos de Idæis fuit altercatio, lis & contentio, ſed poſt eius etiam obitum eam ſententiam ſcriptis perpetuò atque acerrimè eſt inſectatus: Socratis ac Platonis amicitiam potius quàm ueritatis patrocinium ſibi deſerendum eſſe teſtatus. Porrò autē quid frequentius legitur apud Platonem, quàm immortalitas animorum? quæ tamen veræ religionis præcipuus eſt articulus, ac neceſſarium etiam fundamentum. Sed nihil præclarius, nihil ſanctius, nihil diuinius dici poteſt his verbis, quæ ipſæ ſua illa Repub. iam cōſtituta pronuntiauit. Talem enim Rempub. in terris minimè extare dicit, ſed in cælo illius eſſe exemplar, quod etiā legitimam hominum patriam vocans, non niſi diuina quadam ſorte ad illam aditum cuiquam patere: qui ſcilicet in eam intuitus, vitam ac mores ſuos inſtituerit, ac in pietatis officijs hîc ſe perpetuò exercuerit. In eiſdem quoque de Repub. libris, cum multa paßim diuinitus dixerit, in primo tamen libro ac vltimo cygneum melos viſus eſt ceciniſſe. Armenium enim quendam in bello interfectum, ac domum delatum ut ſepeliretur, duodecima iam ab obitu die, dum pyræ impoſitus eſſet, reuixiſſe: & quæ apud inferos gererētur, enarraſſe ait: ibiq; & de diuino iudicio, & de mortuorum reſurrectione, & de perpetuis impiorum ſupplicijs ac piorum æterna felicitate, quæ cum Chriſtiana theologia maximè conuenire videantur, & ſcribit & docet. Totus denique Platonis Timæus, opus illud perfectum ac elaboratum, in quo theologiam tradere illi fuit propoſitum, ex antiqua illa Moſis hiſtoria deſumptus fuit, idq; ſine controuerſia ſenſit Numenius Pythagoreus Philoſophus inſignis, qui nil aliud ſibi videri Platonem, quàm Moſen Attica lingua loquentem dixit. Et quamuis paßim ab eius nomine abſtineat, quoties tamen antiquum dogma citat, non obſcurè Moſen ſignificat. nam Philo, Ioſephus, Euſebius ac

Poſt. 1. Eth. 1. Metaph. 7. In Phed. & Repub. 10.

Diodorus, omnium ſcriptorum illum eſſe antiquiſsimum ſcribunt. Neque antea quidquam ab aliquo fuiſſe literis cõſignatum, vllus vnquam commemorauit. Et ſi enim Græcorum hiſtoria multa numeret annorum millia, fabuloſum tamen illud eſſe vel ipſius Platonis teſtimonio facilè conuinci poteſt. Hic enim recitat in Timæo, Solonem inter ſapientes ſapientiſsimum ex Aegypto redeuntem, hæc ipſa Græciæ retuliſſe, quæ ipſe ab Aegyptio ſacerdote admodum ſene audiuerat, ita dicente: O' Solon, Solon, vos Græci ſemper pueri eſtis, nec apud Græcos ſenex quiſpiam. Cur iſtud diceret Solone interrogante, reſpondiſſe ſacerdotem: quia iuuenis ſemper vobis eſt animus in quo nulla eſt ex vetuſtatis commemoratione priſca opinio, nulla cana ſcientia: neſcitis autem multa ſecula vobis mutis peracta eſſe, ob id quod literis caruiſtis. Illud verò etiam conſtat ante Olympiadas à Græcis nihil fuiſſe conſcriptum, nondum enim Cadmus è Phœnicia in Græciam literas attulerat: ac ipſimet Græci fatentur, ſe barbaris eſſe poſteriores, ac res ab illis antiquiſsimas accepiſſe. Cauſam tamen putauit Plato iuſtiſsimã ſe habuiſſe, cur myſteria ab Aegyptijs patribus accepta multa caligine, tenebriſq; inuolueret: & à Moſis etiam appellatione ſibi temperaret: ſciebat enim & ipſum & eius doctrinam Græcis eſſe inuiſam: quæ cum vnius Dei legitimum cultum profiteretur, Deorum multitudini atque idolis, quæ ipſi colebant, ex diametro repugnabat. Cùm igitur Socratis, qui veritatem liberius edocebat, exitum antea vidiſſet, Areopagi iudicium veritus & cicutæ formidine abſterritus vulgi inuidiam ſibi declinãdam exiſtimauit, atque ideo non tantùm Moſis nomen reticuit, ſed diſsimulanter agens, ea ſe aliunde accepiſſe finxit: ac omnino, ne gentium odia in ſe concitaret, doctrinam occultauit. Vtcunque aũt illa videatur abſtruſa, eiuſmodi tamẽ & Græcis & Latinis Theo-

Xenoph.
Plato in Apol.

Theologis eſt viſa, ut docta religio ab illis meritò ſit appel lata. Auguſtinus potiſſimum egregio elogio eam nobis cõ- mendauit, cum dixit: Platonici, paucis mutatis, fiunt Chri- ſtiani. Et profectò inſignem eruditionem in eo fuiſſe opor- tet, qui Philoſophorum Deus cõmuni ſuffragio eſt appel- latus. Hunc deinde ſequutus eſt Ariſtoteles, qui quamuis in Aegyptum nauigaſſe non legatur, à Platone tamen ea om- nia audiuit: & non rarò in ſuis Commentarijs ἀρχαιον παλαιον, καὶ πατριον λογὸν, priſcum ſcilicet antiquũ, & à Patribus acceptum ſermonem ac famam, tanquam ſo- lidum ac firmum argumentum omniq; veneratione dignũ, adducit: ægyptiacam proculdubio intelligens doctrinam. Porrò autem, & ſi is reliquas omnes philoſophiæ partes non tantùm diligẽter tractaſſe, ſed abſolutiſſimè etiam per- feciſſe videatur, de Deo tamen & cæleſtibus mentibus, ac incorporea natura, pauca admodum attigiſſe iudicatur: ab ijs ſcilicet, qui multa illum de formica atque apibus, pau ca verò de Deo locutum eſſe veluti per calumniam dicunt. Ego verò non multa de his rebus verba illum feciſſe liben- ter confiteor, ſed quæ tamen ſi in vnum colligantur, nec ita pauca ſint, & eximiam & copioſam doctrinam amplectan tur. Scripſit alicubi Philoponus eruditiſſimus eius inter- pres ac enarrator, duo potiſſimum in libris ſuis conſcribẽ- dis ab Ariſtotele fuiſſe affectata. Alterum quidem, vt ab A- xiomate, & generali ac veriſſima propoſitione exordire- tur. Alterum verò, vt ſermone de Deo, ac mentibus ſepara tis peroraret, id quod veriſſimum eſſe, quiſquis phyſicam, metaphyſicam, lib. de Anima, atque ethica ad Nicomachũ perleget, facilè animaduertet. Nec profectò pauca de Deo ſe percepiſſe fatebitur is, qui eorum librorum poſtremas partes rectè intellexerit. Præterea in lib. de Cælo, quod (quemadmodum ſacræ etiam literæ) tanquam præcipuum

Lib. cont. Academic. & lib. de vera religio.

Lib. Metaphiſ. 1. & lib. de Cælo 1. 82.

In cõment. phyſ.

Deo templum, ſedem ac regium tribuit. ſparſim multa etiã differit de diuina natura, nullibi tamen præclarius, quàm in lib. de Mundo *ad* Alexandrum, *ad quem conſcribendũ, cùm iam ſenior ac maturiori ætate, ac propterea meliori mente præditus acceſſiſſet, & ſummum etiam* Monarcham *alloqueretur, non iam obſcuriorum uerborum inuolucris, rem ſibi tractandam propoſuit: ſiue autem progreſſu ætatis melius ipſe, quàm antea diuinas res intelligeret, ſiue quæ antea obſcurè ac tenebricosè, tũ planius, apertius, explicatius ac luculentius voluerit enarrare, multò omnino plura & clariora de* Deo *teſtimonia illic reperiuntur, quàm in alijs ipſius libris, nec immeritò quidem cùm totius ſuæ philoſophiæ hanc veluti epitomen fecerit, quemadmodum* Iuſtinus *Philoſophus antiquiſſimus, qui ante annos mille & quandringẽtos vixit, &* Auguſtinus Stenchus *totius antiquitatis conſultiſſimus affirmant, qui contrà quàm alij quidam nihil hæſitantes, eum librum pro* Ariſtotelico *agnoſcunt.* Quin *alter etiam in ſuo de perenni philoſophia immortali opere pluribus argumentis ſe id probaſſe minimè dubitat.* Omnino *autem ex eius doctrina apparet, vnum eſſe* Deum, *æternum, immobilem, immutabilem, infinitum, omnipotentem, à quo omnia & ſint & gubernentur, quòd quamuis ille ex* Aegyptiorum *præceptis perceperat, ita tamen apud* Græcos *idolorum ac plurium deorum cultores, diſſimulauit, ut ex phyſica ratione in eam ſententiã ſe fuiſſe pertractum ſignificarit, ac præſetulerit.* Hic *certè artibus ad uitam traducendam neceſſarijs iam inuentis, ſacerdotes in* Aegypto *literis ac ſapientiæ primùm vacaſſe ſcribit. quã verò quæ de humana hîc felicitate, & de rectè adminiſtrãda* Repub. *nobis reliqt, cũ lege* Dei *conſentiant, ac eius ferè ſit explicatio, ſi quis illa rectè interpretetur, ijs qui in eius doctrina ſunt verſati, perſpectum eſſe arbitror. nimirũ hoc eſſe ve-*

In admonitione ad Gentes.

Lib. Metaphyſ. 1.

eſſe veriſsimum, vel ex vna eius ſententia facilè cōſtare puto, quam hîc ponere non grauabor, quòd omnium maximè ſit memoratu dignißima. Id verò etiam quod paulò ante ex Philoponi ſententia dixi, apprimè confirmabit, ſolitum ſcilicet eſſe Ariſtotelem religioſa dei commemoratione libros ſuos terminare ac exornare. Si quidem is in poſtrema parte vltimi libri Ethicorum ad Eudemum de ſua illa καλοκαγαθίᾳ, ac bonorum fine diſſerens, in ſanctiſsima hæc verba tandem erumpit. Rerum igitur, quæ ſuapte natura bona ſunt atque expetendæ, ſiue ad corpus illæ pertineant, ſiue amici ſint, ſiue pecuniæ, ſiue res aliæ quæuis per ſe bonæ, ea electio ac poſſeßio, quæ ad Dei contemplationem maximè nos ducit, & optima eſt & præſtantiſsima, & hic quidem finis eſt pulcherrimus. Quæ verò vel ob exceſſum à medio, vel ob defectum, Deum ipſum colere ac contemplari non ſinit, ea verò eſt peſsima. Hæc itaque eſt humani animi ratio, atque is eius finis eſt optimus, cùm alteram ac rationis expertem ſui facultatem, quatenus eiuſmodi eſt, quàm minimum ſentit. Hæc Ariſtoteles. Sic igitur ſeculorum ordinè continuato, veluti per manus tradita ſapientia, tandem ad Aegyptios ac Græcos peruenit, qui præter doctrinam à patribus acceptam, propriæ etiam inuentionis gloria excelluerunt: nam ipſam rerum naturam contemplati, ſumma ingenij acrimonia ac perſpicacia, multa vtiliter inuenerūt: Græci potißimùm, qui etiam facundia ac eloquentia propemodum diuina ea ita illuſtrarunt, vt ſola ea natio in omni optimarum artium ac ſcientiarum notitia mortales erudierit: & ab ea quidquid iam in mundo eſt ſapientiæ effluxerit ac emanarit. Omnem enim illi ἐγκυκλοπαιδείαν, ita abſoluerunt, vt poſteritati atque exteris nationibus omnem laudē præripuerint, ac ſoli orbis magiſtri fuiſſe videantur. Poſteriora enim ſecula in eorum monimentis euoluendis,

fuerunt occupata, ac ſatis ſe conſequutos exiſtimarunt illi, qui in eorum ſcriptis intelligendis ita ſunt exercitati, quò ſaltem ea ratione præire alijs poſſent. Porrò autem ſapiẽtiæ ſtudijs olim vſqueadeo clara Græcorum Gens fuit: vt à ſalutaris doctrinæ concionatoribus Iudæos *miracula,* Græcos *verò initiò ſapientiam poſtulaſſe: atque humilem diuini myſterij prædicationem, pro ſtultitia illis habitam fuiſſe lectiſſimum* Dei *organum* Paulus *dicat: cui tamen ſuperba & faſtu plena ac turgida eorum ſapientia tandem ceſſit: quemadmodum* Athenis *in* Dionyſio Areopagita *præclarum ſpecimen æditum fuit.* Hanc autem ſeu ab antiquis acceptam, ſeu propicia induſtria locupletatam, apud Græcos primùm (vt ſupra diximus) poetæ, deinde Philoſophi celebrarunt, *in quorum præclaris commentarijs, & ſi maximà à nobis facta ſit iactura, diuina tamen prouidentia factum eſt, vt multi, & fortè etiam meliores, nobis adhuc ſuperſint: inter quos duo potiſſimùm omnibus ſeculis celeberrimi veluti duo lucentiſſima ſydera, ac ſapientiæ lumina ſplendidiſſima fuerunt.* Plato *ſcilicet atque* Ariſtoteles, *quorum luculentiſſmis commentarijs qui probè fuerit eruditus, meritò ſapientis nomen obtinebit. Vtramque philoſophiæ partem ambo tractarunt, ſed diuerſa vſi ſunt uia ac ratione. obſcurus uterque fuit, ac propterea ut intelligerẽtur, interpretibus indiguerunt. Quia tamẽ* Ariſtoteles *ſcholis aptior fuit, ideo plures ille nactus eſt interpretes, qui eius ſententiam euoluerent atq; explicarent. Vnde qui poſt eorum ætatem in* Græcia *ob doctrinam celebres extiterũt, non aliunde id ſunt adepti, quàm quòd in illuſtrandis eorũ monimentis, ac omni obſcuritate ab illis tollenda, ſtrenuè atque inſigniter elaborarunt. & qui eam in rem diligẽtius incubuerunt, ac omnem ſuam operam, laborem atque induſtriam in eo felicius collocarunt, ſapientiæ etiam gloria*

cæteris

cæteris præſtiterũt, vt Proclus, Plotinus, Porphyrius, Amelius, Numenius, Plutarchus, Epictetus, Alexander Aphrodiſæus, Syrianus, Simplicius, Philoponus, Themiſtius, Hammonius, Euſtratius, Michael Epheſius, atq; complures alij. Cæterùm illud conſtat, Deum ſumma quædam imperia in orbe conſtituiſſe, vt pax publica, iuſtitia, ac boni mores colerentur, & legibus, iudicijs, ac diſciplina homines gubernarentur: ob idq; monarchas Reipub. dediſſe potẽtiſſimos, qui tyrannos ac ſceleſtos homines, penis ac ſupplicijs coercerent, & pietati, honeſtati, & artibus ac ſciẽtijs domicilium eſſet in terris. Sed nec aliam quidẽ ob cauſam, monarchiam ex vna regione in aliam tranſtuliſſe, quàm quòd ipſi monarchæ omni officio neglecto, aut in Deum, aut in homines, iniurios, atque iniquos ſe exhiberent. quare patet, vnà cum imperio ſimul etiam ſapientiam fuiſſe translatã. Quẽadmodum igitur à Chaldæis ac Babilonijs ad Perſas atque Aegyptios: deinde verò ab ijs ad Græcos, ita poſtea ab ijs ad Romanos, vtrunq; ſimul emigrauit. Fuit apud Græcos in ſummo faſtigio ſimul & ſapientia & potentia dominãdi, cùm Alexander Magnus ſubacto Dario, ac Perſarũ monarchia deleta, rerum potiretur. Nam Athenis tum veriſſimo ac pulcherrimo Muſarum ac ſapientiæ domicilio Socrates, & ab hoc velut ex fonte quodã Ariſtippus, Antiſthenes, Speuſippus, Dicearcus, Heraclides, Plato, Ariſtoteles, Xenocrates, Theophraſtus, Polemo, Strato, Phyſici omnes &, vt ait Cicero, ſpeculatores, venatoresq; naturæ, ac multi alij cum ſummo hominum plauſu ac fructu philoſophabantur. Oratores verò etiam florebant clariſſimi Gorgias Protagoras, Prodicus, Hippias, Iſocrates, Lyſias, Demoſthenes, Hyperides, Aeſchines, Demetrius Phalareus, Democrates. Hiſtorici verò Xenophon in primis, quem Socraticum Cicero vocat, & Calliſthenes comes Alexãdri Magni.

Alexander autem multis ac magnis victorijs elatus, & rebus nimium ſecundis, faſtu ac ſuperbia inſoleſcens, ac eius philoſophiæ, quam ex Ariſtotele præceptore didicerat, penitus oblitus, ac propterea multis flagitijs contaminatus, iuſtæ mutationi occaſionem dedit: in ſummo enim ætatis ac potentiæ ſuæ ſtatu conſtitutus Adraſtiam declinare non potuit, ſed inſuperabili fatorum lege extinctus eſt. ab eius morte in multos proceres diuiſa fuit imperij moles, inter quos eorumq́; filios ac nepotes bella grauiſsima fuerunt ac diuturna, quibus vires ſuas inuicem non mediocriter fregerūt, atque debilitarunt: ac tandem vehementer afflictæ regiones illæ omnes in populi Rom. *ditionem paulatim venerunt, qui longè lateq́; imperij ſui fines extendens nouam, ac omnium poſtremam monarchiam effecit.* Ex eo *tempore ſapientia etiam ex Græcia* Romam *cœpta eſt transferri: id quod* Græca *lingua* Romanis *tum communis ſatis docet.* Hoc *enim vtrique* Genti *maximè fuit ſtudio, vt vnà cum imperio ſuam etiam linguam in orbem propagarent.* Et *cum doctrina in lingua, tanquam in vaſe contineatur, eadem opera ſuos utraque progreſſus fecit.* Et *quamuis ante* Ciceronis *ætatem armis magis quàm literis* Romani *fuerint occupati, aliquot tamen habuit lingua latina eruditione præſtātes viros.* A Portio *enim* Catone *ad* Auguſti *ætatem* Romæ *clara fuerunt ingenia. Sed* Ciceronis *ſeculum omnium fuit eruditiſsimum: nam circa illud tempus* Roma *philoſophari cœpit.* Et *quemadmodum* Græci *ex* Aegypto, *ita* Romani *ex* Græcia *omnem ſuam ſapientiam in* Italiam *reportarūt.* Nam *præter innumeros, qui ſapientiæ cauſa percipiendæ eò ſe contulerūt, legatos à* Romanis *in* Græciam *miſſos, qui leges illinc adferrent, quibus deinde ciuitas eſt vſa, hiſtoriæ teſtātur.* Videtur *autem & apud* Græcos *& apud* Latinos *ſapientia cum eloquentia eodem tempore floruiſſe.* Ac *fuerunt*

runt quidem tum Romæ, non tantùm præſtantes oratores, & egregij poetæ, ſed inſignes quoque iureconſulti, ac philoſophi non mediocres. Et vſque ad Octauium quidem Auguſtum, & rerum ſcientia & linguæ latinæ puritas exculta fuit apud Romanos: atque hoc poſtremum fuit ſeculum, quod natiuum illum ſuccum & ſanguinem incorruptum retinuit: nam deinceps magis atque magis fuit ſermo uitiatus, donec in meram degenerauit barbariem, quæ ad hanc noſtram vſque ætatem ac memoriam adhæſit. Vnà cum lingua corruptela rerum etiam ſcientia ſplendorem ſuum amiſit, quod certè damnum & ſæua quæ deinde ſecuta ſunt bella, & regnorum perturbationes ac vaſtitates nobis pepererunt. Quot enim & quàm truculentis bellis totus orbis fuerit quaſſatus, afflictus atq; oppreſſus, ex hiſtorijs intelligere quiuis facilè poteſt. quale ac quantũ vulnus ab Attila, Totila, Humnis, Vandalis, & Gothis, & Italiæ & alijs regionibus fuerit inflictum, ruinæ adhuc docent. Et ſi autẽ poſt Alexandri Magni obitum in Græcæ monarchiæ occaſu ſimul etiam ſapientiæ dignitas, & cultus non mediocriter debilitatus fuerit ac imminutus, in Græcia tamen eruditi ſemper homines fuerunt: licet inteſtinis bellis diu concuſſa, & nobilioribus eius ciuitatibus Corintho, Thebis, Lacedæmone, Athenis ſolo æquatis, literarum ſtudia hoſpitia non habuerint, retinuit tamen generoſa illa natio, ac perpetuò protulit felicia ingenia quæ virtutem adeò ſapientiamq; coluerunt, vt nunquam prorſus illic fuerit extincta. Roma pariter quamuis poſt nobiliſsimum illud Auguſti ſeculum & linguæ & eruditionis iacturam fecerit non vulgarem, ac temporis progreſſu prouincijs rebellantibus, diuiſo etiam in Orientem atque Occidentem imperio Romano paulatim & monarchia cœperit inclinare, ac ſimul ſapiẽtia labefactari, certis tamẽ temporum curriculis, doctrinæ

veluti lumina quædam, vt Plinius, Seneca, alijq́; ijs ſimiles claruerunt. Qui autem in Romana monarchia, principem in hoc genere locum tenuerunt, tam Græci quàm Latini, ij ferè ſunt Eccleſiaſtici ac Theologi: qui ſcilicet humanam ſapientiam cum diuina magno mortalium commodo coniunxerunt, vt Iuſtinus, Origenes, Damaſcenus, Euſebius, Baſilius, vterq́; Gregorius, Niſſenus & Nazianzenus, Chryſoſtomus, Cyrillus, Theophilactus, atque complures ex Græcis alij: Auguſtinus, Hieronymus, Gregorius, Ambroſius, Cyprianus, Irenæus, Tertullianus, alijq́; ex Latinis. Poſtea verò Albertus magnus, Thomas Aquinas, Laurentius Valla, Leonardus Aretinus, Acciaiolus, Philelphus, alijq́; non pauci. Circa id tempus cœpit Othomannicus furor atq́; arma Conſtantinopolitanum imperium validius premere atque vrgere, cui etiam Græcia diu iactata, tandem ceſſit, victaq́; ſuccubuit. Capta enim à Turca Conſtantinopoli, ac Conſtantino Palæologo interfecto, & cum omni familia extincto ab immaniſſimo tyranno Græcia fuit occupata, & in miſerrimam ac ſempiternam ſeruitutem redacta, qui cùm nihil præter Mahumeticos furores, deliramenta atque inſaniam curet, nullas leges, diſciplinam aut literarum ſtudia ſuis in ditionibus ferre poteſt: Vnde florētiſſima ac beatiſſima olim natio ac regio, veluti de mortuum cadauer ſemiſepultū iacet. Nec profectò quiſquam niſi omnis penitus humanitatis ſit expers, ſine lachrymis commemorabit, gentem olim orbis dominatricem, & quæ alias præ ſe ita contemnebat, ut omnes barbaras appellaret, in eam nunc calamitatem incidiſſe, vt omnium hominum barbariſſimo ſeruire ſit coacta. Quod ſanè exemplum vniuscuiusq́; animū mouere vehementer debet, & cōmiſeratione quadam, honeſtos omnes viros afficere: cùm rerum in ea tam magna facta ſit cataſtrophe ac cōmutatio. quam nemo vnquam fieri

poſſe

poſſe cogitaſſet. Ex eo *tempore quæ reliqua fuit in* Græcia *ſapientia coacta eſt exulare.*Igitur in Italiam *profecta, commodiſſimum illic hoſpitium inuenit,ac ſummorum quidem* Pontificum,*ampliſſimi* Senatus Veneti, *Mediceæ familiæ, ac reliquorum* Italiæ *principum liberalitate inuitati, tum* Roman, *Venetias*,Florentiam, *ac Mediolanum uenerunt,& doctrina & ſanguine illuſtres,ac nobiliſſimi viri,* Othomannicam *barbariem minimè ſuſtinentes*, Emanuel *Chryſoloras*,Beſſarion,*Georgius Trapezuntius*, Theodorus *Gaza, Argyropylus, Marullus Tarchaniota, Demetrius Calchondyles,Marcus Muſurus,*Ioannes *Laſcares, viri nullo unquam æuo perituri.*Erat tum Florentiæ *familiæ Mediceæ nomen in ſummo ſplendore ac dignitate,qui ob diuitem mercaturam opulentiſſimi ac locupletiſſimi facti, cũ etiam ingenio ac uirtute eſſent præſtantes, in patria, quæ tum libera fuit*, Rempub. *ferè gubernabant : ac ob eorum merita, communi conſenſu primas obtinebant, &* Patres *patriæ appellabantur.* Hæc *nimirum familia cum opibus eſſet potentiſſima,ac literarum ſtudia vehementer amaret, foueret, ac ſequeretur, exules illos longè liberalius atque honorificentius excepit,quàm reliqua* Italia,*& honoribus ac muneribus honeſtauit:*Leone *potiſſimum* Decimo Mediceo Romæ *præclara illuſtribus ingenijs præmia proponente.*Laurentius *Medices ſummo tũ abſoluendæ bibliothecæ ſtudio tenebatur,apud quem cùm* Laſcarus *tum exularet,vir ex regia* Conſtantinopolitani Imperatoris *ſtirpe oriundus, & inſigni etiam eruditione per illuſtris, eius opera vſus à* Baiazethe *tum* Turcarum *rege optimorum librorum theſauros omneis impetrauit.*Hic *enim ſuſcepta in* Græciam *legatione, & abdita illic omnia perſcrutatus, quidquid dignum adſeruabatur,in* Italiam *tranſtulit, vnde luculẽtiſſima illa atque inſtructiſſima* Florentiæ *bibliothe-*

ea fuit erecta. Cùm igitur iam in Italia *eſſent Græcorũ monimenta, ac ſuppeterent etiam præceptores, qui illa interpretarentur, clariſſimæ illius* Medicea *familiæ beneficio factum eſt, vt* Itali *Græcam linguam edocerentur, cum qua etiam* Latina *nitorem ſuum cœpit recuperare, quadam ſcilicet neceßitate, vt in ea ſe exercerent,* Latinos *homines cogente, qui* Græcos *in* Latina *viciſſim inſtituebant. Cuius etiam ſplendorem non mediocriter excitauit aßiduus ille labor atque induſtria, qua omnes* Græci *pariter ac* Latini Græcorum *vertendis commentarijs dies ac noctes fuerunt occupati. Sic itaque vnà cum linguarum peritia artes omnes ac ſcientiæ, & omnis demum encyclopedia in* Italia *reuixit. Fuit illa ætas multis nominibus fœliciſſima.* Non ſolũ *enim & libros & præceptores illos è* Græcia *in* Italiam *traduxit, ſed eximios etiam in* Italia *viros tulit, qui peregrinam illam eruditionem facilè imbiberent, ac libenti animo amplecterentur: quales fuerunt* Leonardus Aretinus, Philelphus, Laurentius Valla, Blondus, Pogius, Platina, Varinus Phauorinus, Angelus Politianus, Donatus Acciaiolus, Nicolaus Perotus, Leo Baptiſta Albertus, Hermolaus Barbarus, Principes duo Mirandulani, Marſilius Ficinus, Iouianus Pontanus, Sabellicus, Georgius Valla, Beroaldus, Petrus Crinitus, Marcellus Virgilius, *hi atq; alij plurimi. Cùm igitur nec libri nec præceptores, nec ingenia bonarum literarum auidiſſima, & ad eas paratiſſima deeſſent breui temporis ſpatio ingens in* Italia *ſapientiæ lumen fuit accenſum: non multò enim poſt eos ſecuti ſunt* Cælij *duo* Rodiginus & Calcagninus, Volaterranus, Bembus, Cõtarenus, Sadoletus, Frãcaſtorius, Fœlicianus, Hieronymus Donatus, Longolius, Leonicenus, Achillinus, Pomponatius, Naugerius, Leonicus, Thomeus, Niphus, Alcyonius, Polidorus Virgilius, Triſsinus Vida, Amaſæus, Alciatus, Flaminius,

Iouius,

Iouius. Auguſtinus Stenchus, atq; alij, quorum pars cum ad huc uiuat, ac proprio lumine ſplendeat, à me ſilentio ſunt inuoluendi. Ac nobiliſſimæ ſanè ac ſplendidiſſimæ Medicũ familiæ, quæ ſanctiſſimum illud veterum Ptolemæorum inſtitutum imitata eſt, literarum hoc decus potiſſimum referre acceptum; & in omnem æternitatem tantum beneficiũ grata mente prædicare iure merito omnes debent. Ab Italis ad exteros, Hiſpanos, Gallos, Germanos, ac totam ferè Europam, vnà cum linguarum cognitione, meliores etiam literæ ac ſapientia eſt propagata. Et cũ diuini numinis prouidentia circa id tempus Typographia inuenta ſit atque exculta, incredibile eſt, quã paucis annis & felix & optata fuerit facta progreſſio. Nunc enim perpetuatis ab eo tempore ſtudijs, eò deuentum eſt, ut cum eruditiſſimis olim ſeculis noſtra hæc ætas conferri poſſit, atque hoc nomine in primis ſit beata. Vt quod olim Politianus, Græcis hominib: ſua quadam animi auſteritate parum propitius de Italia dixit, ἀλλὰ καὶ ἰταλίαι μεγάλη, ἐν ἑλλάδι κεῖσθαι. iam multo verius de tota Europa dicere nobis liceat. Ex Hiſpania enim poſtea prodijt Ludouicus Viues, qui vnus varia ac ſumma ſua eruditone impreſſam ſuæ nationi inſcitiæ notam penitus eluit atque abſterſit. Gallia etiam tulit Budæũ, Fabrum, Fernellium, Caſtalionem. Britannia Thomam Morum, Linacrum, Roffenſem, Reginaldum Polum. Sed externarum regionum nulla plures habuit viros, & linguarum peritia, & doctrina etiam præſtantes, quàm Germania. Primum enim Cornelius Agrippa, Reuchlinus, Rodolphus Agricola, Ruellius, Eraſmus, veluti literarum lumina extiterunt, deinde verò Philippus Melanchton, Ioachimus Camerarius, Conradus Geſnerus, Ioannes Cornarius, Ioan. Sturmius, Hieronymus Vulfius, alijq; quàm plurimi, qui omnes rerum ſcientiam cum eloquentia feliciſſimè coniunxerunt;

quorum ſanè qui poſtremò à me ſunt enumerati, in Græca lingua adeo ſunt eruditi, ut non ſecus ac latinè & ſcribere & loqui etiam poßint: quod ab illis edita commentaria declarant. Horum omnium noſtri ſeculi ſapientum, cùm ego ſtudiorum rationem conſiderarem, in eadem ſe omnes arena exercuiſſe deprehendi. Illi enim cùm uiderent à Græcis ſcriptoribus omnem inuentionis laudem ſibi ereptam, nec tantùm inuentas artes omnes ac ſciẽtias, ſed exornatas etiã ac illuſtratas: nec melius ſe latinis tradere illas poſſe, quàm Græci antea feciſſent: quod reliquum fuit in illis ad nos trã sferẽdis ſedulo ſe ac diligenter exercuerũt, quo ſanè labore duplex nobis exorta eſt vtilitas, eaq; cõmodißima. Hac enim ratione Latinam linguam excoluerunt ac elaborarunt, & ex putida illa barbarie, ad ſuum nitorem reſtituerunt. Deinde verò non ſolùm Græcam hiſtoriam ac poetas & oratores, ex quibus multa ad Rempub. vtilißima deſumuntur, ſed optimarum etiam artium ac ſciẽtiarum theſauros, ac ſanctißimos Theologorum libros, ac puriorem diuini uerbi intelligentiam, interpretationem ac ſenſum nobis attulerũt, quæ nos in hac vita planè beatos poſſunt efficere. Cùm itaque prudentes ac ſapientes viros imitari ſemper fuerit laudatißimum, horum ego ſequutus exemplum ac veſtigia, ante trienium Themiſtij philoſophi peripatetici orationes, & eruditione & ſapientia plenas in latinum ſermonem verti. Cùm enim bonæ frugis refertas eſſe illas viderem, nec adhuc tamẽ à quoquam latinas fuiſſe factas, nõ putaui illos quibus græca lingua eſt incognita eárum lectione defraudandos. Deterruit me quidem ab ea prouincia non ſemel deprauati exemplaris corruptela: ac niſi amicorum hortatu fuiſſem impulſus, ab incepto opere deſtitiſſem, ne tamen vlla in me diligentia deſideraretur, ueteres ac reconditas bibliothecas omnes Venetijs excußi, atq;

ex ma-

ex manuſcriptis codicibus loca aliquot emendaui: nonnulla tamen fuerunt, quæ in illis æquè ac in impreſsis ita ſunt corrupta, vt ad legitimũ ſenſũ eruendum Delio *opus fuerit natatore.* Nihilominus *ex præcedentibus & conſequentib. commodum ſenſum (ni fallor) collegi. vnus tantum locus eſt, in quo cùm uerba aliquot deſint, neque in ea manuſcriptis illis inuenerim, imperfectum relinquere ſum coactus.* Atqui *videbitur fortaßis alicubi mea verſio à* Themiſtij *verbis diſcrepare ac variare, nec tamen ij, qui ea animaduertent quidquam temerè aut inſcitè fuiſſe à me factum iudicabunt: potius verò ex antiquis codicibus ac exemplaribus quæ ego ſummo meo cum labore conſului, ea me loca emẽdaſſe, vt integra auctoris ſentẽtia redderetur.* Vt *autẽ paratior atque inſtructior ad harum orationum lectionem lector accederet, argumentis eas illuſtraui, quæ tanquam periochæ ſingulis præfixa, earum intelligentiam non mediocriter patefaciunt ac adiuuabũt.* De *quibus cùm dubitaret* Typographus, *eſséntne à me uerſa, an uerò facta, minus veram partem accipiens, errore quodam in titulo, eorum me non opificem, ſed verſorem fecit.* Vixit Themiſtius *poſt ætatem* Conſtantini Magni Imperatoris, *ac ſub* Valente Iuliano, *ac* Theodoſio Imppp. *floruit.* Eius *ſermo extare fertur in* Italia, *quo conſolatur eos, qui ſub* Valente *in magnas calamitates coniecti fuerant, quòd* Arrij *dogma ſequi nollent, cui ipſe* Imperator *fuit addictißimus.* Sozomenus *quoque in* Tripartita *hiſtoria affirmat* Themiſtium *librũ conſcripſiſſe, quo illum orat, ne tantopere ſæuiat in eos, qui* Arrianum *dogma ut admitterent, adduci non poterãt.* Ex *quibus patet, aut* Chriſtianæ *pietati, ac veræ eius doctrinæ eũ fuiſſe addictum, aut certè ab ea non abhorruiſſe.* Eſt *etiam in quinta* Oratione *locus, ubi ſub* Aßirij *oraculi titulo* Dauidicum *pſalmum citat, vt magna ſit coniectura, ab ortho-*

doxa religione illum non fuiſſe alienum, imò in diuini verbi lectione exercitatum: philoſophum certè fuiſſe inſignem cùm luculentæ paraphraſes in aliquot Ariſtotelis libros editæ, tum orationes iſtæ octo abundè teſtantur: in quibus ſatis apparet, non tantùm Ariſtotelis doctrinam illum tenuiſſe, ac eius præcipuè ſectatorem fuiſſe, ſed Platonem etiā ſibi habuiſſe familiarem: nec verò principum philoſophorū ſapientia illi ſolùm fuit explorata, verùm tanta eam facundia expreſſit, vt inde Euphradis cognomen ſit promeritus. Sex alias orationes ſcripſiſſe fertur Themiſtius, quæ in Dieghi Hurtadi Hiſpani bibliotheca latēt, nōdū editæ. eas ego cùm eſſem Venetijs ſummis precibus expetiui, ac omnē lapidem moui, ut illas impetrarem. Cupiebam enim cū his coniunctas in publicum prodire: uerùm tāta religione fuerunt adſeruatæ, ut ne ſemel quidem uidere illas potuerim. Non deſiſtam tamen donec aliqua ratione illas obtineam: ac tum Græcas omnes ac Latinas, aut ſimul, aut ſeorſum in lucem mittam. Vtcunque autem hactenus egregia atque erudita ingenia in hoc genere elaborarint, nullū tamē fuiſſe reperio, qui nō alicubi ſit hallucinatus. Quare etſi ego multos doctrina præſtantes viros meæ huius verſionis iudices fecerim, ac eorum monitu loca nonnulla immutarim, à cōmuni tamen ſorte me immunem eſſe non profiteor. Erunt proculdubio loca aliqua à me non intellecta, aut parùm feliciter uerſa: de quibus ſi quis me amicè monuerit, gratias agam, ac illa emendabo. Hoc tamen apud omnes me debet excuſare, quòd in hac verſione ita elaboraui, ut ob negligētiam aut incuriam nullum à me commiſſum ſit erratum, alioqui Galenus dixit, τῶν ἀνθρώπων κρείττων ὁ ἥττων ἁμαρθάνων. Scio equidem non defuturos, qui meum hunc laborem cauillentur: ac me fortaſſis nimis audacem fuiſſe obijciant, quòd ſcilicet eum ſcriptorem mihi transferendū

ſumpſe-

ſumpſerim, qui ita eloquens ſit, ut eius facundiam non facilè quis Latinis verbis aſſequi poßit, præſertim cùm à ſermonis elegãtia ſingulari celebre ſibi nomen compararit. Ego *verò meæ tenuitatis non ita ignarus ſum, aut imprudens, vt in* Latina *dicendi facultate ita me profeciſſe auſim gloriari, quaſi verò* Themiſtij *eloquentiſsimi olim & philoſophi & oratoris excellentiã meis uerbis æquare poſſe confidam, eam tamen ob rẽ me debere accuſari aut reprehendi minimè puto, niſi cum multis præclaris viris, ac de bonis literis optimè meritis, accuſationem hãc mihi eſſe cõmunem uelint.* Nam *ex ijs qui* Platonem, Ariſtotelem, Theophraſtũ Demoſthenẽ, Baſilium, Chryſoſtomũ, Niſſenum, Nazianzenum, Iſocratem, Thucididẽ, Herodotum, *reliquosq; ſine controuerſia facundißimos in Latinam linguam tranſtulerunt, neminem eſſe iudico, qui ſe eorũ in dicendo vim, copiam & grauitatem aſſecutum arbitretur.* Qua *autem ratione à culpa illos abſoluent, eadem me quoque non indignum debent exiſtimare.* Idem *accidit ijs commentarijs qui ex una lingua in aliam transferuntur, quod uino cùm ex vno uaſe in aliud uas transfunditur.* Vt *enim hoc vim, robur & gratiam ſuam ſæpe amittit, ita illi proprium nitorem ac uenuſtatẽ deperdunt.* Si Cicero Latinæ *eloquẽtiæ princeps & parens in uertẽdo* Platonis Timæo, *eius maieſtatẽ æquare non potuit, quis iam futurus eſt tam audax, ut hoc auſit ſibi polliceri?* Latino *igitur ſermone contenti ſint lectores, qui ſententiam legitimam candidè, purè, ac bona fide reddat, etiam ſi eos lepores, lumina ac ornamenta orationis in mea uerſione non reperient, quibus* Græcè *loquens* Themiſtius *eſt vſus.* Alioqui *cũ orationes hæ politicæ non ſint, ſed philoſophicæ, de ſententijs magis quã de uerborum elegãtia ſollicitos eſſe debere lectores arbitror.* Porrò *autem etſi noſtro hoc ſeculo ita floret literarum decus ac ſplendor,*

ut nemo ſit ex ijs quibus notæ ſunt literæ meliores: qui Grecè has orationes legere non poßit. Cùm tamen non omnib. ea felicitas contingat, eorum rationem mihi habendum duxi, atque in horum gratiam à me ſuſceptæ eæ uigiliæ: fauſto ac felici omine illis impartior ac communico, vicißim ab illis hoc tantùm petens, ut noſtrum hoc iuuandi ſtudium ac propoſitum grata animi uoluntate proſequãtur. At quẽadmodum frugum primitias, ac animalium primogenita, ex præcepto olim Deus *ad ſe perferri uoluit, ita primos ingeniorum fructus ac ueluti fœtus, principes viri ſuo quodã iure uidentur ſibi uendicare, Atque ideo cùm ego hũc qualemcunque induſtriæ meæ partum in lucem editurus circunquaque aſpicerem, ex infinito propemodum præſtantißimorum atque illuſtrium uirorum numero te unum, ſapientißime uir ac nobilißime, potißimum delegi, cui illum offerrem, ac dedicarem. idq; ut facerem, plurimæ rationes, eæq; honeſtißimæ, me impulerunt: gratiam enim ac ſplendorem meo huic libro apud omnes comparandum in primis eſſe exiſtimaui, nec quenquam in me ita iniquum fore arbitror, à quo mihi hoc uitio verti poßit. Sed quanam alia meliori aut commodiori ratione id à me potuit obtineri, quã ſi clarißimum* Huldrici Fuggeri *nomen in ipſo ſtatim operis titulo conſpiceretur? Siquidem ego nunquam eorũ iudicia probaui, qui in ſcriptis ſuis nuncupandis ſolam generis uobilitatem ac decus ſibi ſpectandum putant, interim nihil ſoliciti, an ab ijs quibus ſunt deſtinata aut intelligi aut iudicari poßint. Atque ideo utrunque mihi proponendum duxi, quod ſanè quàm difficilè ſit ſimul inuenire omnes norunt. At quantò hoc rarius eſt ac difficilius, tantò laudabilius ac dignius exiſtimandum. Si igitur generis claritas, ac decus à me fuit expetendum,* Fuggeri *nomẽ amplißimum, & cuius luce meus liber ſatis illuſtrari, atque hominibus*

commen

commendari poſſit. Quid enim frequentius iam auditur, non in Germania tantum, ſed per totam etiam Europam, quàm Fuggerorum nomen? ac meritò illud quidem. Iandudum enim ſummã Dei Opt. Max. in ſe beneuolentiam ea familia experitur, cui ſcilicet omnia ſimul bona & animi & corporis & fortunæ, eius benignitate largiter ſint conceſſa. Nam ut ſummas ac luculentas eius opes omittam, à quibus tamen non mediocriter eſt laudanda, cùm non niſi magnis atque eximijs animi atque ingenij uiribus ac diuina quadam prouidentia aut cõparari, aut retineri poſſint. iuſtum potius ac legitimum earum vſum, egregijs certè laudibus efferre omnes debent. Quid uerò præclarius aut homine dignius, q̃ inopum, pauperum, ac miſerorum humilẽ abiectam, ac prope deploratã fortunam alere, fouere, ac ſuſtentare? quod certè laudis genus, uobis eſſe peculiare, ptochotrophia, orphanotrophia, Gerontocomia, ac noſocomia magnis ſumptibus à ueſtris maioribus erecta atque extructa, & à vobis inſtaurata ac conſeruata abundè teſtantur: quæ certæ ueſtræ pietatis ac beneficentiæ perpetua erũt moninenta. Sed nulla etiam eſt aut in Italia, aut in Gallia, aut in Germania celebris Academia, in qua non aliqui ſint optimæ indolis iuuenes, qui ueſtra liberalitate bonarũ artium ſtudijs incumbant. Et hæc ſanè facta æternam uobis famam ac gloriam meritò conciliabunt. Porrò autem cùm ille qui olim Hieroſolymæ rex, ſapientiæ ſuæ celebritatem per orbem uniuerſum propagauit, ſingulare illud Dei munus eſſe conſtituerit, ſi quibus diuitiæ atque opes ſupppetũt illis etiam potiantur: hoc quoque uobis minimè deeſſe, facilè is confitebitur, qui ædes ueſtras atque ſplendidiſſima palatia, qui amœniſſimos ac omni uoluptatum ac delitiarum genere affluentes hortos, qui equos lectiſſimos ac pulcher

rimos ſub mundiſsimis tectis eleganter diſpoſitos qui famu litium frequentiſsimum, qui aſsiduum doctorum hominum ſatellitium, qui denique magnificos apparatus, ac ſumptus quotidianos fuerit contemplatus: ut, quot quis Fuggeros *ui deat, tot ſe principes atque heroas, & qui ſingulorum fami lias, tot ſe aulas magnificas lacautiſsimas uidere arbitretur, Quid verò de Cæſarum, regum, ac principum potentiſsi- morum gratia, & fauore dicam, cùm omnibus ſit notiſsi- mum, ueſtram familiam non tantùm ſumma eorum bene- uolentia lætari, ſed ob excellentem rerum cognitionem & ſingularem in tractandis negotijs animi dexteritatem conſilijs etiam & grauibus de repub. deliberationibus in- tereſſe. Vnde etiam meritò factum eſt, ut nobiliſsimæ atq; illuſtres in Germania familiæ ueſtram olim affinitatem ex petiuerint, & quotidie etiam expetant. Nihil igitur in tuo cognomine à me ſplendoris aut claritatis deſideratūr. In tuo uerò priuatim nomine excellēs ſapientia cum pruden- tia atque omni uirtutum choro elucet. Sciunt enim omnes antiquorum ſapientum more, longinquas te peregrinatio- nes ſuſcepiſſe, ac non tantùm in Germania, ſed in Italia & Gallia celebres omnes academias acceſsiſſe, & ubicunque fuerūt uiri doctrina præſtantes optimis literis ac precepto ribus magnis laboribus ac uigilijs, & quod nobis maximè dolendum eſt, cum magno tuæ ualetudinis detrimento, ſtre nuam operā dediſſe. ex quibus etiam ſummam eruditionē in patriam reportaſti. Neque enim multarum linguarum, in quibus excellis, peritia, & literis humanioribus, ac poe- tarum atque oratorum intelligentia fuiſti contentus, ſed grauiora etiam ſacrarum legum ſtudia, atque abditos phi- loſophiæ receſſus, tibi perluſtrandas cenſuiſti, unde & iu- reconſultus & philoſophus ſimul euaſiſti, ſcilicet ut non ſo lùm priuatæ animi tui uoluptati atque utilitati ſimul con-*

ſuleres, ſed rempub. quoq; ſalutaribus conſilijs iuuare poſ ſes. Vt autem in peregrinis regionibus ingentibus ſumptib. atque diſpendijs comparatam eruditionem perpetuò ales res atque augeres, refertiſſimā bibliothecam maximis impenſis tibi dudum collegiſti, quam etiam quotidie optimorum librorum acceſſione locupletas, qua certè in re tui ego iudicij acrimoniam valdè ſum admiratus: neque enim cōmunem multorum rationem atque conſuetudinem imitaris ut quidquid noſtra hæc ætas librorum fœcundiſſima in lucem profert, in illam ſtatim comportandum cures, adhibes tu hîc delectum & meliores tantùm, & qui alicui tibi futuri ſunt vſui, tua bibliotheca dignos putas. Ferè enim fieri ſoles, ut qui omnes nolunt nullos legant: quanquam aliorum iudicia etiam non omnino ſunt improbanda. Publico enim commodo omnia cupiunt conſeruari, Plinij ſecundi iudiciū ea in re ſecuti, qui nullum librum eſſe tā malum dixit, quin aliquid boni ſemper in ſe contineat: alioqui niſi omnes habeantur, qui nam boni ſint aut mali, non facilè dignoſci poteſt. quod ſanè magnanimi uiri Ioannis Iacobi Fuggeri fratris tui propoſitum atque inſtitutum fuiſſe non dubito, dū ingentem auri ſummam in ſuam illam ampliſſimam bibliothecam exponit: & multos iam annos, in omnis generis libris congerendis, atque in illam comportandis, magna animi alacritate ac ſtudio elaborat, quo certè immortali opere digniſſimum ſe oſtendit, cuius memoriam grata poſteritas perpetuò colat atque obſeruet. Tu tamen, qui non ſolùm utiliſſimos libros à temporis iniuria cupis liberare, ſed tibi ipſi etiam, ac proprio uſui illa paras, prudenter profectò iudicaſti, non illam infinitatē eſſe perſequendam, ſed optimos quoſque diligendos: præſertim cùm ſine magno valetudinis incōmodo humana uita multis modis ſerua tot libris perlegendis par eſſe non poſſit: ut in nobiliſſimo principe

Ioanne Mirandulano fuit declaratum: qui cùm ex Hebræis Græcis ac Latinis auctoribus nullum à ſe neglectum aut præteritum uellet, pulcherrimum ac robuſtiſsimum corpus ita labefactauit, ut undecima nondum functus annorum tri eteride, immaturo fato nobis magno meliorum literarũ dã no abriperetur. Ac mihi quidem ueſtra familia in Germania per omnia celeberrimis illis Medicibus Florentinis per ſimilis uidetur: nam & opum ac rerum omniũ affluentia, & ſplendore ac magnificentia, & erga bonos ac eruditos uiros beniuolentia, & literarum atque artium ac ſcientiarum ſtudio, & cura meritò cum illis comparari poteſt. In ea re uerò potiſsimum quod in conquirendis doctorum hominum commentarijs tanta utitur ſedulitate ac diligentia, ut nihil præclarum in hoc genere orbis ſit habiturus, quod non in Fuggerorum bibliothecis ſiue editum, ſiue non editum reperiatur. Quemadmodum igitur Florentinos Medices de re literaria optimè meritos Deus Opt. Max. felici ac proſpero rerum ſucceſſu eſt remuneratus et eruditorum virorum ſcriptis eorum nomen ad ſempiternam memoriam celebrabitur. Idẽ ego de vobis Huldrice Fuggere, præſago quodam animi affectu futurum diuino. Memini ego, cum tu mihi aliq̃do dixiſti, nullos tibi chariores eſſe theſauros, quàm libri. O' uocem egregiam, ac ſapiente uiro dignam. Cùm olim apud Dionyſium Syracuſanum Plato atque Ariſtippus diuerſarentur, ſolitum dicere Dionyſium ferunt: Plato ſemper Libros, Ariſtippus ſemper pecuniam petit. Tibi uerò cùm utrunque ſuppetat, quàm ſis Platoni ſimilior, quàm Ariſtippo ſatis declaras: cùm utrum alteri præferendum ſit, pronuntias ac profiteris. Non igitur ineptam me rem facturum iudicaui, ſi libros tantopere expetenti librum darem. Sed tua illa etiam eximia in me humanitas & liberalitas quoque, quam ego dum agerem Au

guſtæ

guſtæ, apud te ſum erpertus, ita animo meo inhæret, ac perpetuò inhærebit, ut grati animi iudicium aliquod à me exhibendum eſſe exiſtimarim. Poſtremò cùm nullum unquam ſeculum fuerit, in quo præceptum illud à Plutarcho reprehenſum, λαθε βιώσας magis ſit obſeruandum, quàm noſtrũ hoc, tanta nunc eſt obtrectatorũ copia atq; prouentus; magni atque illuſtris uiri nomine, ceu clypeo, ab importuna eorum libidine atquè intemperantia me nõ temerè muniendum duxi.

Vale.

IN EIVSDEM THEMI-
STII ORATIONEM
VIII.

Argumentum Hieronymi Donzellini.

DVCTA *ratione à Phidiæ Statuarij exemplo modeſtè eum reprehendit, qui ex improuiſo illum dicere uolebat, tacitè ut uidetur quorundam rhetorum arrogantiam retundens, qui quacunque oblata occaſione perfecti oratoris munus implere ſe poſſe ſuperbè nimium iactant. ut aũt quod repente & ſubitò ſe facere non poſſe affirmauit, cõmodiori ocio præſtari à ſe poſſe declaret, unã aliquã ex hiſce orationibus, quas meditatè olim à ſe ſcriptas dicit, deprompturum pollicetur: qua artis eius quam profitetur in ſeipſo præſtantiam tueatur.*

THEMISTII PHILO-SOPHI IN EVM QVI PETI- uerat ut ex tempore haberet orationem. oratio VIII.

EODEM HIERONYMO DONzellino interprete.

ET Si Phidias, artifex ille tãtopere celebratus, in ſculpendo ex ebore & auro aut hominis aut Dei ſimulachro mirabiliter excellebat, eum tamen conſtat nullum opus exiguo tempore aut paruo ocio dato abſoluere potuiſſe. fertur itaq; cum Minueram effingeret, ne ad ſolam quidem Deæ crepidam formandam breui tẽporis ſpacio indiguiſſe: quod ſi quis eum eadem die artis ſue opus aliquod edere iuſsiſſet, quidnam feciſſet, aut quomodo mandato illi paruiſſet? Conſidera obſecro, an tale quid à ſe flagitanti, his uerbis commodè reſpondiſſet. O bone uir, meorũq; operum diligens ſpectator, ſi ad aliquod opus nouum ac recens à nobis

effingendum idoneum tempus neq;
permittis neque cõcedis, tu uelim Mi
neruam eam quæ eſt in ciuitate, aut
eum qui eſt in Olympijs Iouẽ contẽ-
pleris: neq; enim uereor quin hæc ma
ximam in teipſo Phidię admirationẽ
poſsint excitare. Eadem ergo ratione
uiri optimi, hortarer hominem mei
mearumq; rerum ſtudioſum, quoniã
& ipſe mihi uidetur ſimiliter affectus,
& eodem hoc die aliquod à me opus
flagitare, ut in unum ex his quæ iam
pridem à me cõfecta ſunt, intueretur:
nihil enim opinor opus erit me opus
aliquod nouum parare ac meditari:
in me ipſo enim circunſero artis meæ
ſimulachra, quæ uno quidem in loco
elaborari oportet: perpetuò tamen
artificem quocunque ille diuertat co-
mitantur, ſed illud mihi ſaltem grati-
ficare: ſine me quæſo, imaginem tuã
per ocium fingere ac formare: neque
enim ita peritus ſum & facilis, aut ex-
peditus, ut ex tẽpore aut poſsim aut

debeam aliquid architectari,id quod fieri animaduertimus à Lacedæmonijs ſophiſtis. prçterea neque principis cuiuscūq; effigiē exprimere poſſum,ſed eius tantùm qui mihi hanc tabellam ita cōpoſuerit, ut unà cū ſimulachro iuſtitiam capiat, manſuetudinemq; & authoritatem, aliarumq; multarū dearum ac dæmonū bonorum cœtū ac multitudinem, quem Socraticis tā tum pictoribus licet effingere. Ego igitur ab eo quod petis (id enim facere non conſueui) alienus ſum: cum mihi ad imitādum pauca ſint exemplaria. Quam uerò tu mihi tabulam paraſti ea pulchra eſt & magna, necq; exigua aut anguſta erit deſcriptio, ſed in dextera parte legem ſtatuemus, quæ te à puero educauit, & nūc ſimul etiā ſedet: in ſiniſtra iuſtitiā collocabimus, quæ nūq̄ te ſit deſertura: itēq; reliquū harum uirtutum chorum, quē mihi exemplar ipſum demonſtrarit. De-

monſtrabit autem proculdubio: atq; ita ut ea quæ ſunt præcipua & maxima minimè deſiderẽtur. Nunc igitur (neq; enim tantùm mihi ocij datur) depromendum eſt aliquid eorũ, quæ mihi ſepoſita ſunt atque recondita. Illud autem debemus ſcire, orationum pulchritudinem illi diſsimilem eſſe, quã in pueris efflorerſcere, prouectioribus uerò factis extingui animaduertimus: ſed cuiuſmodi à principio erãt, cùm ſepoſitę ſunt tales ad perpetuum tempus duraturas.

ERRATA.

Pagina prima, uerſu 6. & 7. ſcribendum Hieronymi Donzellini, *& delenda uox, interprete.* Eadem *pag. uerſu 35. ex. p. 6. 25. uos, p. 8. 2. uobis. p. 13. 7. uos 18. uobis. p. 14. 2 adulteret. 3. corrumpat. 7. poſt vocem ho monyma, addenda ſunt hæc uerba. Synonyma, paronyma, & polyonyma nouit diſtinguere, an potius nõ nouit, quid inter apagogen & epagogen interſit, quantũ diſſentiant aut ſignificent hæ uoces,* Epilogiſmus*, analogiſmus, ſyllogiſmus, catalogiſmus & paralogiſmus. p. 15. 17. hunc. p. 23. 1* ratione. *p. 30. 9. dicendi. 13. uos 15. vobis p. 33. 9. amplectebatur. p. 36. 4. fama opinioneq́;. p. 40. 4 defraudare. p. 49. 19* Philoſophos. *p. 52. 6* Odyſſeam. *p. 53. 6 ſcenam. p. 36. 4. 5* Hieronymi Donzellini. *p. 57. 22 fructum. p. 59 1.* Vlyßi. *p. 62. 24 myſterijs. p. 68. 19* Vlyſſem. *p. 69. 21 ſaluberrimoq́;. p. 72. 7 Sybaritarum. p. 77. 27. ueræ. p. 86. 13 proſpiciet. p. 99. 1 Sthenelo. p. 103. 3 coniunctione. p. 110. 10 ſors. p. 112. 1 in primis cauſam.*

Circa initia præfationis, ubi adducuntur aliquot in locis Homeri carmina. loco eorum quatuor carminum quæ ita incipiunt.

Aſtutum comptis, Aten cepiſſe capillis & c. lege ſequentia.

Iupiter his animo, nimium commotus acerbo,
Vertice contortis comprehenſam crinibus Aten,
Iurauit nunquam redituram ad lucida cæli
Sidera, non unquam deinceps in parte futuram
Sedis Olympiacæ, quæ tantùm affligere poſſet
Res hominum, diuumq́;, & inutilis omnibus eſſet.
Hæc dicens, raptamq́; coma, pedibusq́; rotatam,
Præcipitem in terras cælo deiecit ab alto,
Perpetuo humanis nocituram tempore rebus.

IN THEMISTII PHILOSOPHI ORATIONEM PRImam, quæ Explorator ſeu Philoſophus dicitur,

ARGVMENTVM.

HIERONIMO DONZELlino interprete.

CVm Themiſtij tempeſtate, non tantùm ſophiſtarum auaritia & arrogantia, ſed multæ etiam aliæ peſtes philoſophiam inuaſiſſent, & multas illi maculas aſpergentes, uulgi ferè ludibrio exponerent: hanc ipſe eius ſortem miſeratus, ab eiuſmodi contumelia & calamitate liberare illam contendit. Indictá igitur toti populo concione, ſuperiori è loco concionatur. Et *primùm quidem ut philoſophiam rem diuinam ac præſtantiſſimam declaret: quamquam ipſe reuera ſit philoſophus, ab eius tamen perfectione longiſſimè abeſſe, ac eo nomine ſe indigniſſimum dicit: improbè uerò eos facere, qui cum uilioribus artibus dediti, ac multis uitijs inquinati ſint, philoſophos tamen ſe profiteri minimè uerentur.* Huiuſmodi *uerò iam multos obambulare, qui ſpecioſo hoc titulo ſe uenditare ac oſtentare non deſinunt. Quare cum nummis, auro, purpuræ, hyacinthis, margaritis, alijſq; huius generis rebus, &* Reipublicæ *decreto, præfectos habeant exploratores, qui uera ne an adulterina poſſint iudicare, in præclariſſima rerum omnium philoſophia, longè diligen*

tiores eos eſſe oportere, neq; temere & nullo prius facto examine, eius nomen cuiquam impartiendum: Neq; *enim defuturos illis uiros in eo genere peritiſsimos, quorum opera uti poſsint, niſi ipſimet iudices eſſe uelint.* Vtcunq; *autem ipſe philoſophum ſe nolit appellari, non tamen contemni ab illis debere:* Neq; *ſe ſed ſuam orationem reſpiciendam, cum non à ſeipſo, ſed è* Socratis *ac* Platonis, *præceptis ſit deprompta: & propterea digna quæ ab illis attentè audiatur.* Philoſophum *igitur formaturus, & quæ eius notæ atq; indicia examinaturus, ut grauiſsimam ſe rem tractaturum oſtendat, atque ideo magis attentum ſibi populum reddat, illum hortatur, ut* Platonem *tanquàm quoddam numen ſecum precetur, ut omni caligine diſcuſſa ſine ullo errore ueri philoſophi imaginem ac formam contemplari poſsint.* Statim *autem tamquam exauditæ eſſent preces, ſpiritu ac furore quodam, pectus atque animum ſibi incendi ac inflammari dicit: & è ſexto* Platonis *de* Republica *libro, ſex notas atque indicia recenſet, quibus ueri philoſophi dijudicari & à falſis facilè diſtingui ac diſcerni poſsint. In illis tamen recenſendis, acriter ac perpetuò ferè in ſophiſtas inuehitur: qui cum omni uitiorum genere contaminati ſint, & à ueræ ſapientiæ ratione quàm longiſsimè abſint, magnifico tamen eius titulo ſe honeſtare, & ſuis illam uitijs polluere atque inquinare non ceſſant.*

THEMISTII PHILOSOPHI ORATIO PRIMA.

VIRI, quicunq; hodierno die audiēdi mei gratia in hoc Muſarū theatrum conueniſtis, quid cauſæ eſt quòd ſtupore & admiratione quadam perculſos omnes uideo? An nouū & abſurdum uobis uidetur, uirum philoſophi nomine honeſtatum, heſterno quidem die uos conuocaſſe, in altiore autem ſuggeſto, oratorio quodam ac magnifico apparatu, nunc ſedere, non ſecus ac ſi clamores, & plauſus ueſtros ſua oratione uelit aucupari? Quibus uos plauſibus ſæpe oratores uiros planè admirabiles, excipere cōſueuiſtis? quòd ſi ob id miramini, iure profectò miramini. Neque enim hoc philoſophi officium eſt, aut inſtitutum: neq; culpa accidit mea, ſed illius, qui me hoc nomine ab initio uocandum cenſuit, & ut uos uo-

caretis effecit: à quo certè longè me a-
beſſe ſentio. Ego etſi patre natus ſum
philoſopho, ualde inſigni & uero (qua
in re, non quemadmodum Thelema-
chus, matri credendum puto) non ta-
men exiſtimo me eſſe philoſophum:
etſi qui ſunt qui exiſtiment, eos falli ac
decipi arbitror. Sed quid quæſo & ſi-
bi & alijs negocium faceſſunt? Dico
enim apertè in publico hoc theatro, &
palàm audientibus uobis denũcio, me
longè ab hoc nomine alienum eſſe. Is
autem qui ab initio illud mihi affixit,
non animaduertit, ut quis ſit philoſo-
phus, ſatis non eſſe ex patre philoſo-
pho natum eſſe, ſed oportere eum ab
huiuſmodi educatoribus & magiſtris
qui ſe philoſophi nomine dignos præ
beant, inſtitutum eſſe atq; educatum:
itemq; illius animum mollem ac tene-
rum, ab ineunte ætate hiſce ſtudijs im-
butum: ita enim formam & quem ty-
pum uocant, facilius ac melius impri-
mi, & in profundum penetrare, in ex-
tima

tima autē parte minimè reſidere. Quo modo autem factum ſit, ut ab hoc ego nomine ſim alienior, neſcio: præſertim qui patres duos, & eos inſignes uiros, nactus ſim, quorum me unus genuit, alter adoptauit. Ariſtippus ſanè, quòd ab una matre philoſophiæ ſtudijs dedita inſtitutus eſt, id eſt aſſecutus, ut Mitrodidactus, id eſt, à matre doctus dictus ſit. Quem autem Ariſtippum dicam, puto uos intelligere: non illum qui Socratis eximius diſcipulus fuit, ſed quem ex filia nepotem ſuſcepit. Hunc mater, ſicuti æquum erat, cum amore proſequeretur, optimis etiam artibus, ac diſciplinis erudiebat, in hanc unam curam incumbens, ut eum & ſe, & auo dignum efficeret. Mea ratio diſſimilis fuit. Oderant me malè hi patres & maleuolentia ſumma proſequebantur. Sed tamen non oderant, dicat aliquis. Neque enim fas eſſe arbitror, aut uerìſimile eſt, à uiris ſapientibus, & propemodum beatis, liberos ſuos o-

dio haberi. Verùm ego hebeti fui ingenio, minimequé ad percipiendas diſciplinas apto: & mentem uſque adeo indocilem ac tardam natura mihi dedit, ut nullius artis, aut ſcientiæ formam, cum maximè illud contenderent, in animo meo imprimere illi poſſent. Quæ ſi ita ſe habent, deſinite, deſinite quęſo uos, ſponte uelle errare, & falli, deſinite per Muſas, tam honorifico me nomine appellare: ad eam me potius artem, quam nomine ipſo uultis ſignificare, pro uirili parte ueſtra impellite ac incitate: neque enim maius mihi beneficium dare poteſtis. Quòd ſi cum philoſophis uerſari uobis neceſſe eſt, titulo iſto tam inſigni & pulchro, alios qui me ſunt longè præſtantiores, uelim honeſtetis: ego alioqui deridear meritò, ueluti ſi alienam tunicam, & corpore longè maiorem indui deprehendar. Erunt enim pauci, quibus ueſtra iſta liberalitas nota ſit, aut nos iſtiuſmodi

nomina liberaliter largiri, ac donare ſciant. Me autem exiſtimabunt impudentem, qui in uos ipſos inſultem atque inuadam, & à uobis inuitis iſtos titulos extorqueam: cum tamen ego falſam laudem & abſurdam, ſemper ſim aſpernatus. Scitis enim quantum ego ſoleam eos deridere, qui tali uitio, aut morbo laborant: quos ego certè ab eo parum differre puto, qui aut carbonem uendat, aut ferramenta: qui etiam ſi fumo & fauillis oppletus ſit, tam uili tamen nomine indignum ſe putat: quin grauius iraſcitur ijs, qui ita appellant: quos, ſi liceat, libenter dilaceret ac diſcerpat: Medicus autem aut uates, aut artifex aliquis inſignis, ac præſtans, mauult uocari. Quæ cum ita ſint, non poſſum non uehementer accuſare Aeſopi aſinum: qui cum audiret ſe eſſe aſinum, leonis tamen pellem induebat: ex quo fit, ut concurſu puerorum facto, fuſtibus cæſus, & pellem

amittat, & elationem, animique magnitudinem deponat. Verùm id nobis fortaſſe portenti ſimile uideatur; quòd ego qui me negem philoſophum eſſe, ad uos tamen dicturus acceſſerim. Sed cum ego uideam unicuique, tanquam in beata ac libera ciuitate, magna ueſtrum frequentia, dicendi poteſtatem fieri, huius me quoque participem factum, nemo eſt qui mirari debeat. Quare cum me dicentem audietis, nolite quæſo tumultuari, aut grauius commoueri: neque enim me tanquam philoſophum audietis, ſed ut hominem qui lauto & ſumptuoſo cõuiuio exceptus, multis ac uarijs epulis ſeſe ingurgitauit. Quare etſi in ea fui ſententia, ut rem ipſam mihi noluerim uendicare, dixiq; neſcire me, an philoſophus ſim, & ob id etiam, nomen ipſum tanquam à me alienum, ſum aſpernatus, non tamen propterea in hoc ſolùm reſpiciendum eſt, in me ſcilicet, qui huc acceſsi dicturus, neque
com-

cõmoueri oportet, ſed & quæ dico, & cuius gratia dicam audire & cõſiderare num bona & uobis audientibus non inutilia, & num excitandæ admirationis ueſtræ cauſa, à me ſint in medium allata. Nam etiamſi aliquando Platonem illum ſapientiæ nomine inſignem in Piræeo dicentem, non ſolùm uniuerſus populus ex urbe confluens, ſed agricolæ ex agris, uinitores ex uineis, & operarij ex argentarijs fodinis profecti audiebant, nihilo tamen minus ſapiẽs habebatur & philoſophus. Quotieſcunq; igitur de ſummo bono diſſerebat, æſtuantem uidiſſes turbam, & ſeſe à reliquis ſegregantem. Atque ita tandem cùm nondum orare deſijſſet ſolus, unà cum diſcipulis familiaribus in theatro relinquebatur: quæ ſanè res ſophiſtæ anxiè quærẽti laudem ac gloriam, moleſtiſsima accidiſſet. De philoſophi autem oratione, nihil omnino detrahitur: aut non is ſe putat iniuria affectum, etiam ſi ſub platano ſola,

cicadis audiētibus, habeat orationem. Qui etiam ſi laude indigeat, & cōmendatione, quam tamen non deſiderat, uno contentus eſt laudatore, Phędro ſcilicet Myrrhinuſio: cicadæ autē cantilenam illam ſuam meridie audiente Sole canent. Sed quid hæc ad me? præſertim cum ego iam antea uobis dixerim, in philoſophorum numerum nō putare me adſcribendum. Ea enim res ardua eſt ac perdifficilis, ad quam uia fert (ut inquit Heſiodus) aſpera atq; ardua, & cuius conficiendæ cauſa (ut Pindarus ait) multi labores ſubeundi, & ſumptus non exigui ſunt faciendi. Et ob id Socrates ille Sophroniſci filius, una deorum benignitate curſum hunc iniri & cōfici, neq; aut labore, aut induſtria noſtra, uirtutē parari dixit. Sed ut melius intelligatis quod & hi benè ac præclarè ſenſerunt: & ego nihil indignū aut abſurdum facio, quippe qui nomē iſtud fugiam ac timeam: audite qualia & quàm multa, primùm

deorum

deorum benignitate, poſtea diſciplina ipſa neceſſariò propè modum, ad eum ueniant, qui turpitudine infamię deterritus, in unius gloriæ cupiditatem potiſsimum incumbit. Commemorabo autem uobis nō meos ſermones, eſſem enim ſophiſta, ſi nunc ea me profiterer ſcire, quorum cauſa cum ea neſciam indignum me etiam tali nomine exiſtimaui: ſed ea recenſebo, quæ ſunt à Socrate & à Platone dicta in eos, qui acerbius in philoſophiā inuehebantur. Hi enim omnino paucos eſſe oſtendebāt. qui & uitio carerent, & quorum eſſet animus nulla fraude aut ſcelere contaminatus: plures autem qui cum ſordidas quaſdam, & abiectas artes exerceant, in nobilioris tamen & excellentioris artis inſtituta ac præcepta ſeſe inſinuant. Ex quo fieri aiebant ut philoſophia contemptui habita ſit, & adhuc habeatur. Quando plerique ſordidè minimeqúe liberaliter educati, uel ſi ipſi artem aliquam didice-

rint: uel ſi ab heris inſtituti ſint, clariores facti repente è ſeruitute, illius artis beneficio exiliunt, eaꝗ; neglecta philoſophiæ excellentia ac dignitate capiuntur. Horum ſimilis eſt ratio, & fabri illius, qui cum & caluus ſit, & breuiore corporis ſtatura, ac modò ex ipſis uinculis emiſſus ſit, nihilominus tamen, magnifica ac præcioſa ueſte indutus, dominam ſuam in ſtuprum illicere non uereatur. Cùm igitur huiuſmodi homines tam impudenter ad ipſam accedant philoſophiam, quid'nam de ea ſentire, & eos qui uident, & qui audiunt exiſtimandum eſt? An non ea uitia, quæcunꝗ; in illorum animis inſident, ab ea proficiſci, & initium ſumere arbitrantur? Nam cum eos illiberales experiantur, pecuniæ cupidos, alieni direptores, conuitiatores, odioſos omnibus, arrogantes, fraudulentos, & inſidiatores, non has certè labes aut uitia ab ipſa natura, aut à priore arte contracta, in animum inducent, ſed ipſam

pſam philoſophiam tanquam horum omnium fontem criminabũtur. Vos autem eiuſmodi fore iudices aut æſtimatores non uideo, quippe qui cum reliquis bonis facilè cæteris hominib. præſtetis: in ĳs quoque quæ maxima ſunt ac præcipua, decipi nos ac falli nõ eſt ueriſimile. Quòd ſiquis æreũ nummum optimo auro coloratum, uel purpuram fucato rubore ſplendentem, uel margaritam doloſo artificio expolitam in forum protulerit, indignabimini uos certè, neq; diutius hominis fraudes perferendas putabitis, ſed tanquam maleficum ac uerſutum, carnifici cædendum ac uerberandum tradetis. Et ob id etiã multæ excogitatæ ſunt à nobis rationes, quibus & aurũ & purpuram, ac hyacinthos dignoſcere ac diiudicare poſsitis. Adſunt etiam uobis ĳ quos huic muneri præfeciſtis, exploratores harum rerum: hos aduocatis, ut ĳ, cuiuſmodi ſint eæ merces quas empturi eſtis, diligentius uideant. Ei

uerò qui humanorũ bonorũ præſtan tiſsimũ, maximeq́ diuinum adulterat, & corrũpit, eoq́ ad quæſtum turpiſsi mè abutatur, ciuitatem obambulans, præcipuos honores appetat, in prima ſella ſedeat, tanquã unus inter pecudes homo ſit, quod homonyma, aliaq́ huiuſmodi uerba & perobſcura & mutila, ex Ariſtotelis libro de Arte diſſerẽdi deprõpta, nullũ prꝺficietis exploratorẽ: neq; perpẽdiculum adhibebitis, aut normã, quæ ſi non quadret, multiplex illius ingeniũ ac tortuoſum decla ret. Nec uerò deſunt uobis exploratores, adſunt, adſunt uobis multi, ſed aut illis fidẽ nõ habetis, aut eorũ opera nõ utimini, quorũ ego nomina uobis recẽ ſuiſſem, hominum ſanè iſtiuſmodi rerum dijudicandarũ peritiſsimorum, ſi modò uos eorum ſcientiam experturos putaſſem. Nunc autem mihi uidemini uelle id per uosipſos cognoſcere, neq; aliorũ interpretum opera egere: Precemur ipitur Platonẽ illum ſapien

tem

tem,& ego& uos,quemadmodũ dixi, ut ab oculis noſtris caliginẽ diſcutiat, quò facilius ac melius, noſmetipſi ſine ullo errore deos ab hominibus dijudicare, ac diſtinguere poſsimus. Exaudiet nos Iouis ipſius comes uel potius exaudijt. Iam enim pectus ſpiritu quodam ac furore repleri ſentio, mihiq; omnibus ex partib. occurrunt eæ rationes excogitatæ à Platone, quib. ipſe in preclara illa ciuitate, qualis futurus eſſet philoſophus oſtẽdit, meliusq; illũ expoliuit, q̃ ſua Phidias ſimulachra. Primùm igitur ex matrimonio ſacro natus ſit oportet: illud aũt eſt, cum optimus uir optimę mulieri iũgitur & copulatur. Hanc itaq; tanquã typũ quendã & formã cenſeo uobis ante oculos proponendã cuſtodiẽdamq;, ut habeatis paratã quotieſcunque uolueritis, ſi modò id uobis uiſum fuerit neceſſariũ. Velim aũt ita cõſideretis: in ędibus ueſtris ſunt equi multi, canes multi, & in agris boum armẽta, ac pecudũ greges:

cùm igitur præſtantes uitulos, genero ſos pullos, & uenaticos catulos procreari uelitis, ex omnibus ne, nullo habito delectu gigni ſolent, an illud maximè ſtudetis, ut ex quampræſtantiſsimis non diſsimilem habeatis animaliũ procreationem? Ego enim certò ſcio eligi à uobis equum, qui & erecta ceruice incedat, & propemodum animi elationẽ quandam & magnitudinem referat. Itemq́ꝫ canem ex qua catulos ſuſcepturi eſtis, diligenter animaduertitis, num Laconica ſit, uereq́ꝫ generoſa: malam enim catellam ex uulpe & cane ortam, aut Meliteam prorſus reijcitis. Eandem diligentiam adhibetis in eligẽdo optimo tauro, & ariete. quid quòd triticum, hordeum, uites, & oleum ſaturi, ne ſurculos quidem, aut ſemina negligere ſoletis? Illud autem uobis perſuaſiſtis fore, ut ex bonis & propemodum mitibus, & bonæ & fructoſæ arbores, & fruges enaſcantur, ex ſyluestribus autem & ignobilibus ignobiliores

liores & magis ſylueſtres. An non iu-
re indignabatur Theognis, quòd cum
ad alia eiuſmodi curam, ac ſtudium no
ſtrum conferamus, ita tamen ſimus tar
di ac negligētes, ut in ipſis hominibus,
hæc eadem non putemus animaduer-
tenda? ſcilicet ad capeſſenda philoſo-
phiæ altiora, magisq; recondita myſte
ria idoneum eſſe exiſtimabimus homi
nem ex coquo aut piſtore natum? qui
tritico metiendo, ſeruili admodū con-
ditione ſit educatus. an non huiuſmo
di homo impreſſum habet ſordidum
illud & ſeruile ſemen, quod ita animo
adhæreat, ut non eum permittat præ-
clarum aliquid, aut magnificum, & ſu
pra ipſius (ut ita dicam) radicem ui-
dere aut cogitare? ſed ad priorem na-
turam retrahat, atq; ad eam reuolui il-
lum, ac reflecti quàm ſæpiſsimè cogat?
quam eandem rationem eſſe uidemus
eorum ramorum, quos cum ipſa natu
ra incuruos fecerit, nunquam tamen
ita manibus mollias aut inflectas, quin

ſtatim ad natiuum ſtatū recurrāt, atq́; iidem perpetuò ſint. Eiuſmodi igitur homo quicquid ab ipſa educatiōe hauſit, id ſemper retineat, & ſeruilibus officijs intentus ætatem agat, neceſſe eſt. Excellentiorē enim partem, animum ſcilicet & rectum & liberum iuuenilis ætas in ſeruitute acta deprauauit: atq́; ita ut ex morum ſimilitudine, neceſſariò doloſa ac fraudulenta ſectari, & in obſcuro potius quàm in luce uitam agere eos cogat. In his igitur acuti & perſpicaces ſunt, tanquam ij qui à pueris didicerunt oratione heris ſuis aſſentari, re autem ipſa fallere ac decipere, conſeruos calumniari, eosq́ue domo extrudere. Id autem admirabili quadam ſapientia inſtructi agunt, ſeq́ue inſinuant ad ipſos dominos, ſupercilio modò ſublato, modò depreſſo incedētes, demiſsi ac humiles, ſi modò ita ſibi fore utile uideatur: cum tamen interim deorum atque hominum iura prorſus deſpiciant. Inſitum præterea ijs, utpote

utpote ſordidè illiberalitérque educatis, odium tam ſtabile & fixum, ut ex eorum animis tanta labes non facilè euelli poſsit. Ex quo etiam fit, ut in quemlibet & inuidia & odio flagrantes nulla habita ratione ferantur. Quibus uitijs nullum ego grauius, aut à philoſophia magis alienum inter homines puto extitiſſe. Verùm ego turpe eſſe arbitror, Eleos & Piſæos tantum oleaſtro Olympiaco tribuere, ut non prius aliquem patiantur corpus ſuum nudare, quàm & parentes ſuos pronunciarit, & integram atque incorruptam generis ſui originem indicarit, & in his inueſtigandis diligentiſsimi ſunt, etiam ſi certamina tātùm corporum celebrentur: cùm illud ſolùm debuerint ſpectare, num firma ſint corpora, beneq́; compacta. Neque enim unquam apud Alpheum, Philammonem in puluerem deſcendere paſsi eſſent, ac certare, niſi Ariſtoteles illius generi honorificum

teſtimonium dediſſet, & ſibi etiam filiũm adoptaſſet. Nos autem ad uirtutis certamen, nullo habito delectu, unumquemque admittemus: neq; detractis externis, aduẽtitijsq; indumentis & inuolucris, euolutũ ac nudatum animum inſpiciemus, ſit ne ſincerus, an corruptus & deprauatus? Audio Lacedæmonios cum alijs multis in rebus, cum ea etiam in parte Lycurgum legislatorem ſuũ reprehendiſſe, quòd ſcilicet ad aram Dianæ liberos pariter ac ſeruos adeſſe iuberet, tam eos qui Ilotæ appellantur, quàm Erypontidas uel Aegiadas. Verùm hoc fortaſſe nõ eſt abſurdum: nam & certamen & præmium uerberibus cõſtat. Sed iam non uerbis tantùm, uerùm etiam factis orationem noſtram confirmemus. Neminem reperietis eorum qui in philoſophiæ ſtudijs excelluerunt, ſi modò illorũ maiores ſcrutari uolueritis, qui non aut à Ioue nutritus, aut à Ioue ſit procreatus, quemadmodum Homerus

rus dicit,& de quo prouerbium illud di
ci poſsit, à Codro. Omnes igitur ex an
tiquiſsimis parentibus enatos dico, ſi-
millimè atq; perlucida ac pura flumi-
na, ſi unde deriuentur uelimus quære-
re, ex antiquis fontib. defluere cogno-
ſcemus. Verùm ne quis cõtrario exem
plo in medium allato nos decipiat, hoc
ſi uidetur concedamus. Difficile qui-
dem eſſe, non tamen præter naturam,
dari interdum aditum ad uirtutem ei
homini, qui ſit hac labe & macula aſper
ſus. Reliqua nunc indicia ac ſigna con-
ſideremus, quę magis neceſſe eſt in phi
loſophi animo inſita eſſe, quàm ebur-
neum humerum Pelopidis inhærere.
Sapientiſsimi igitur Platonis uerba re
citabo, ſecutus conſuetudinem orato-
rum, qui in iudicio leges recitari iubẽt,
ex quibus perſpicietis, quæ indicia aſ-
ferat Plato nobilitatis animorum. Il-
lud itaque omnibus ſit certiſsimum at-
que exploratum, ad philoſophum per
tinere nõ eſſe in omnibus artibus ac di

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ſciplinis uerſatum, ſed eam tantùm te-
nere, quæ ſempiternam illam naturam
nunquam interiturã, & cuius nullum
extitit principium cæteris patefaciat.
Audiſtis igitur legislatorẽ, diſciplinas
eas diſtinguentẽ, quarũ ſtudioſum eſſe
philoſophum decet: neq; patiẽtem o-
mnes ſimul in unum ueluti aceruũ con
fundi & commiſceri. Nam illud etiam
addidit, fieri nõ poſſe, ut unus rectè in
multis artib. ſe exerceat. Neq; enim be
ne unquã faber coriariã: neq; coriarius
fabrilem artẽ exercebit. Quid, quòd
illa domus ad exiguũ tẽpus durat, quę
à textorib. aut uinitoribus in unũ coa-
ctis, & non ab architecto fuerit extru-
cta? An nõ uidemus etiam tunicã eam
difficulter ſui ſolere, quam mulier im-
perita ac rudis intexuerit? Gubernator
uerò eodẽ tempore nauta & guberna-
tor eſſe nõ poteſt. Neq; medicus gym-
naſtes & medicus, ſed alterum quidem
remigibus, alterum pædotribis impe-
rare neceſſe eſt, remigem autem & pæ-
dotribam

dotribam nõ eſſe. Eadem ratione preficiendos puto philoſophos preceptoribus ac diſciplinis, Rhetorib. ſcilicet & Grãmaticis: ita tamẽ ut neq; Rhetorum, neq; Grammaticorum ſuſcipiant partes. Eſſet enim per quàm ridiculum hominem eiuſmodi, qui naturã illam puram & incorpoream animo contemplatur, quique homines deſpicit, aſsidere ſyllabis, uitam conſumere in tradendis ijs quæ ad ſyncopas nominum, & colliſiones pertinent, uerborum minutiſsima queque euoluere: adoleſcentes uerberare, negocium faceſſere miſeris pædagogis, & poteſtate hac elatum, ſuperbiorem fieri & arrogantem. Qui autem uerus haberi uult philoſophus, cum is firmioribus animi alis ſe inſtructum uideat, altiora petit, uirgis ac flagellis prorſus contemptis. An exiſtimatis facta alicui poteſtate, ut aut id quod melius, aut id quod deterius eſt eligat: ſi modò ad utrunque perficiendum ſit idoneus,

adeo imprudentem fore, ut neglectis melioribus, ſtudium omne ſuum ad ſe ctandum ea quæ deteriora ſunt cõuer tat? Cum itaq; uideritis aliquem tanquam excellentem ac ſummum philoſophum ſe exhibere atq; oſtentare, & tamen ita prgeſſe, atq; aſsidere ijs quos ſupra nominaui, ut ne ab ijs quidẽ ſeſe diſiungat, etiam ſi res aliqua ipſius propria agatur, hunc ſcitote, cogitare qua ratione uos decipiat, & Agamemnonis perſonam falsò ſumere, cum tamẽ intus Mithacus ſit, aut Thearion. Cui uos nolite quæſo cedere, neq; patiamini argutis eius ſermonibus decipi: quæ à ſe aliena cũ ab altero didicerit & paululum immutarit, tanquã Autolycus furta, ea ſecum circumfert, iactans ſe atque oſtentãs apud eos, quibus eorum author & inuentor eſt ignotus. Hunc autem ita uelim interrogetis: ô bone uir, tu quidem philoſophiæ ſcientiam ſimulas, & in ea etiam te excellere gloriaris, quo certè bono noſtra quoque

ciuitas

ciuitas mirificè delectatur, atq; utinam nobis illud affatim ſuppeteret ac redũdaret. Verùm quemadmodũ tibi medicinæ ſcientiam profitenti, non temere traderemus domos, uxores, aut liberos noſtros curandos, niſi prius multi te adiutore priſtinam ualetudinem recepiſſent, & membris debiles, earundem corporis partium uſum iterum adepti eſſent. Neq; tamen his contenti eſſemus, quippe qui uellemus etiã parata te habere compoſita pharmaca ac potiones, ex quibus tãquam ex aliquo teſtimonio appareant manifeſtæ ſcientiæ iſtius tuæ indicia. Nominandi tibi præterea & diſcipuli, & hæredes artis tuæ: ex ijs enim partim medicinę ipſius opera, partim argumenta, ac ſigna perſpicimus. ex quibus omnis ars ac ſciẽtia diiudicari & dignoſci poteſt: eadem ratione oſtendas nunc opus aliquod, aut factum tui ipſius, cuiuſmodi multa à philoſopho proficiſci ſolẽt. Quando tu dono datã pecuniam contempſiſti?

id quod à Xenocrate factũ ſcimus, qui talenta quinquaginta ab Alexandro miſſa recuſauit. Quando tu debitam tibi pecuniam ab altero cõdonaſti? quæ laus Zenonis Cittienſis propria fuit. An unquam calumnias & maledicta, eadem animi moderatione tuliſti, qua Socrates à Thraſymacho laceſsitus? An principũ præclara ac luculenta beneficia renuiſti? quemadmodũ Theophraſtus, qui Phalerei munera prompto atq; alacri animo eſt aſpernatus. At horũ nihil eſt abs te factũ. Voluptates autem contemnis, neq; meretrices mercatus es, neq; ſcortorũ amore exarſiſti, neq; eoſdẽ & filiorũ & ſeruorum loco habuiſti: ſed quemadmodũ apud recẽtiores & ueteres philoſophos, multa extant ſapiẽtiæ dogmata, ita à te conſcripta ſunt parua quędam aut magna cõmentaria de uirtute, de uitio, de natura rerũ, & quo modo uerum à falſo diſtinguatur. Aut quid tãdẽ per deos? an nulla quidẽ potes proferre cõmentaria?

taria? Nominabis aũt fortaſſe quatuor diſcipulos tuos, quos tu erudieris, aut tres aut duos, aut unum, hunccine, qui tibi philoſophiæ ſcientiam referat acceptam? Quòd ſi neq; hęc omnia, neq; aliqua ſaltem proferre potes, ſed inania quædam loqueris & garris, nihil eſt, quòd aut tibi plus tribuamus, quàm par eſt, aut fidẽ habeamus, quaſi Iouis filius Mercurius, relicto Ioue & cœlo, carũcula ueſtitus urbem noſtrã obambulet. Neq; ſi mihi infinita nomina librorũ & ſcriptorũ recenſeas, ob id dignus uideberis, quẽ nos intueamur, & admiremur. Nã eadẽ ratione & philoſophorũ ſcribis liceat, etiãſi nihilo plus intelligant q̃ reliqui ſerui, ſapiẽtiæ laudẽ ſibi cõparare. Siquis enim familiariter utatur philoſopho, eiq; doctè ſcribẽti et docẽti frequẽs aſsideat, colligat certè pauca quędã uerba, eaq; aliquãdo unà cõiungat & componat, quin etiã ſi à re de qua agitur fuerint remota, in medium tamen proferre non uereatur.

Non diſsimili penè ratione, qua mendici ueſtimenta ſua cõnectunt, ea enim ex attrito & nouo panno conſuta uidemus. Qui igitur iſtiuſmodi uerborũ collectione nimis efferatur, & inſaniat is mendicitatis ac temulentiæ eſt condemnandus. Neq; enim etiam ſi quis anulum oſtentet, illico eam ſtatuimus notam eſſe diuitiarum, cum iſtiuſmodi oſtentatio & affectatio plerunque ſignũ afferat paupertatis. Ita enim nullã eſſe domi apud eum prẹcioſiorẽ aliam rem cognoſcimus: neq; enim tam inſolenter, ac temere, eo anulo gloriaretur. Quid igitur cauſæ eſt, cur nos ab iſtis non decipimur? Atqui ſaltatorem non dicimus eum, qui corpus ad certũ quẽdam numerum, aptè & concinnè non moueat, neq; cithariſtam qui pulſandę cytharæ ſit ignarus: ſapientem tamen illum etiam qui non ſit arbitramur: ſcilicet ob id, quia ſoni ac ſaltationes, aurium atq; oculorum ſenſu dijudicantur: quorum ſanè uis & facultas, ad ea

quæ

quæ ſibi propriè, aut ſuauia, & iucũda, aut moleſta, ac aſpera ſunt dignoſcenda, eſt idonea: de ſapientia autem, ſola ſapientia iudicium ferre poteſt. Quod cum ita ſit, & nobis aures quidem ſint & oculi, à ſapientia autem alieni ſimus. facilè inſcitia noſtra ac ſtultitia, illorũ præſtigĳs eludi ſolet. Qui cum animaduertant nos eruditioris ſermonis rudes atq; ignaros, priſcas quaſdam uoces obſoletas, & diuturnitate temporis iam obſcuriores factas colligentes, aures noſtras feriunt. Atq; hæc ſunt eiuſmodi hominum adminicula & terrores, quibus iniectis auditorum animi perhorreſcunt, grauiter afficiũtur, & propemodũ muti fiunt ac elingues: id quòd ĳs, quos lupi prius uiderint, aiunt accidere. Quòd ſi uelis ex ĳs quęrere, quidnam id ſit, quod dixerint, cũ eos non intellexeris, obſcuriore ac difficiliore uerbo te inuoluunt: atq; ita, ut neq; tu, neq; ille qui dicit, aliquid poſſit proficere; ſed cum ſæpe repetierit,

certè & deinde,& per Caſtorē ac Pol-
lucē,quā celerimè inde profectus tuam
īnſcitiā atq; ingenij tarditatē ridet. Vt
igitur ij quib. oculorū eſt acies hebeti-
or colorib. decipiūtur,ſic in dignoſcē-
dis huiuſmodi ſophiſtis is fallitur,cu-
ius animus diſciplina ac ſciētia nulla eſt
excultus. Quòd ſi quis in ueſtrā urbē
ingreſſus diſcendi artē profiteatur, uo
bis opus nō erit lōgo admodū annorū
curriculo,ut intelligere poſitis,an uerè
ſcientiā ille teneat,an uerò arrogans ſit
impoſtor. Atq; id,quia ſunt apud nos
multi oratores, qui & facilè inuenire,
& quæcunq; inuenerint nobis perſua
dere poſsint: ſapientię aūt nos nondū
cōpotes facti ſumus,& ſapienti homi-
ni nullā fidem cenſemus adhibendam.
Quin,æmulatione atq; inuidia ducti,
exiſtimamus eum reijciendū,quē pro-
pter hanc illius uirtutis opinionē, ali-
quando apud nos excitatam, maximi
fecimus: cū tamen illud neſciamus, ſapi
entem hominē ſapienti non eſſe in ſen-
ſum.

ſum. Neq; enim inſignis Tyrſo Bacchus eũ patitur myſterijs ſuis preeſſe, qui nõ ex lege ſit initiatus. Verùm neſcio quo pacto, conſiderantes qui ſit ad capeſſendã philoſophiã idoneus, ad aliud, eximium hoc quoq;, ex reliquis ſignis opportunè admodũ noſtra procurrit oratio. Mitis enim animus, et cõmuni gaudẽs ſocietate, diſsiplinarũ cupidos & ſtudioſos amplectetur: inhumanus aũt & agreſtis, reiecto hoc hominũ genere, cũ fabris uerſabitur & architectis: quòd ſi uis, ad poetas etiã & alios artifices diuertere eũ concedam: ſi quis dicat ipſos inter ſe diſsidere, & mutuis ſeſe conuitijs laceſſere, ac irritare. Neq; enim alia ijs artib. propoſita ſunt premia, preter argentũ, aut eã que argẽtum cõſequi ſolet, laudem, quibus minimè ijs frui licet, qui ſunt alijs longè inferiores. Ille igitur qui pauciora poſſideat, iraſcatur ijs quibus plura ſuppetant, & indignetur neceſſe eſt. Quibus uerò preclarũ aliquod de re aliqua

propoſitum eſt certamen, & perpetuò curam hanc & ſolicitudinem animo fouent aluntq́ꝫ, hi ſanè lætitia eò maiore afficiuntur, quò plures adiutores ac ſocios nacti fuerint in ea uenatione, cui ipſi intenti chariſsima & quæ multùm amant, anxiè ſectantur. Id enim norūt, eos qui uenantur, ſi ſoli ſint, difficilius ſolere prædam inuenire & aſſequi: pluribus autem uenatoribus faciliorem ad latibula aditum patere. Sunt ſanè in ipſius quoq; ueritatis uenatione multæ locorum difficultates, multa obſcuritas & caligo, ut difficulter ab uno eodemq́ꝫ homine comprehendi poſsit. Quare plures uocandi ad hanc uenationem ſocij, & uenatores, plures ſanè quàm olim dicantur principes conueniſſe, perdendi illius apri cauſa, qui agros totamq́ꝫ regis Aetolorum regionem peſsimè uaſtabat. Qua fera cum poſtea potiti eſſent, ortum eſt inter uenatores certamē, cuius futurum eſſet apri caput. Atque hinc bellum inter

Aetolos

Aetolos & Acarnanas emanauit:
Ob caput atrocis uilloſaq; tergora porci.
Philoſophiæ autem diſsimilis eſt ratio, ex qua cum emergat uerum, ipſaq; ueri ſit indagatrix, omnes illius participes in ea mutua quadam beneuolentia, ſine cōtentione coniuncti, fructum percipiunt. Ob id Ariſto Cleanthem amplectabatur, & diſcipulos ſuos illi communicabat: ob id Crantor charus erat Crateti: ob id Speuſippus Xenocratem ex Chalcedone accerſiuit: Lyco autem & Ariſto, peripateticus Ariſtotelicæ doctrinæ ſtudioſi erant, ſed tamen cum Lyco, ipſa fama & opinione eruditionis excelleret, atq; ita ut hoſtes adducti eius gloria, naues illius tanquam ſacras, integras, & ab omni iniuria liberas eſſe uoluerint: non oderat Ariſtonem neq; indignabatur eum digniore loco honeſtari, neq; illius gloriꝫ, quæ quotidie maior fiebat, inuidebat. Quin, illud per iocum uenuſteq; dicebat, claudū præcurrere ualentem

pedibus: nam altero crure Ariſto captus erat, ac debilis. Eadem ratione & nouem Muſæ ſimul, & cum Apolline etiam ſaltant, neq; eſt ipſarum aliqua, quæ reliquis infenſior ſit, aut quòd nō ipſa ſola ſapiens ſit, aut quòd nō ipſius ſolius auxiliū poetæ implorent. Neq; uerò ſibi Calliope citharam uendicat, neq; Thalia tibias, neq; Terpſicore lyram: ſed quòd unaquæq; ſibi habet proprium & peculiare, in cōmune id confert, & uniuerſo choro libenter impartitur. Canunt eædem ſibi reſpōdentes, ut ait poeta: neq; una alteri inuidet, aut contrario ſono alterius uocem interrumpit. Neq; uerò tales ſe gerunt admirabiles iſti uiri, & qui falsò philoſophos ſe eſſe profitētur. Siquis enim omiſsis reliquis omnibus, literarū amore captus in ſua domuncula habitet, & in lectulo eodem loco conquieſcat, operamq; det Ariſtotelis, & Theophraſti libris, repentè hoc audito ciuitatem cunctā obeuntes, regios miniſtros aduocant,

uocant: ſi modò is quem ipſi homicidam, ſceleſtum, parricidam, & ueneficum appellant, ſolis adhuc lumen aſpiciat ac inter uiuos numeretur. Illud uerò maximum eſt crimen, cuius eum inſimulant, inuaſit Ariſtotelis Categorias, diſputauit apud peregrinũ quendam hominem, de eo quòd eſt in ſubiecto: quòd ſi de ſyllogiſmo aliquid protuliſſet, aut de rerum natura cõſcripſiſſet: tum uerò perduellionis reus citetur, & tanquam tyrannum ex arce tollendũ, cenſeant: ſed ſiquis etiã eſſet qui ſapiẽtiã ac ueritatẽ omni conatu ac ſtudio ſibi cõparandã eſſe exiſtimaret: eũ ijſdẽ ſtudijs deditũ quibus tu nẽpe Platonis, uel Socratis, uel Pythagoræ ſtudioſum, te decet neq; irritare, neq; laceſſere, ſed extollere, adhortari, & multò etiã magis incitare. Ita enim maximè proficeret neq; ab inſtituto curſu retraheretur: ſi te nactus ſit laudantem, plaudentẽ, & cũ quo ſuis laboribus de principatu ſibi decertandũ eſſe arbitretur.

Nunc autem tanta es ingenij arrogantia, ut uidearis uereri, ne ſi quempiam alium laudes, aliquid de uirtutis ac ſapientiæ tuæ fama ac opinione'ꝗ detrahatur: aut ſi alterũ admireris ne eandẽ apud alios admirationẽ illius excites: & ob id deſinãt alij in te unũ intueri & te unum admirari. Ex quo fit, ut quem tu ridiculũ propè hominẽ, & omnino ſtolidũ agnoſcis, erga hunc beneuolũ te præbeas, & mitem, & illius etiam ſapientiam cum quadam admiratione & publicè & priuatim extollas. Quòd ſi alicuius ingenium & doctrinam homines admirentur: tuꝗ tecum tacitè bene eos ſentire intelligis: tunc & inuidia accenderis, & ueluti nube quadam ſuffuſus grauiter commoueris, atꝗ ita ut non ſolùm eos qui laudantur, ſed etiam eos qui laudant, odio habeas. Nimirum animus nullum parit inuidia ac odio peſtilentiorem morbum: eoꝗ magis, quò acutius is qui eo laborat, uidet non ſua tantùm & uicinorum facta

cta, ſed eorum etiam qui longè abſunt. Quare doctiſsimè ſcripſit Heſiodus:

Hoſtis enim fabro faber eſt, figuloq; moleſtus
Eſt figulus, —

Nunc autem (tanta eſt nonnullorum temeritas atq; audacia) equites quidã de ſtatione ſua erũpentes, & per medias haſtas equis rapti, ordines deſerũt, omniaq; perturbant, quos ad eum uos ordinem cogite redire, à quo digreſsi ſunt: neq; patiamini inermes homines, & depreſſos & quaſi in terram demerſos armatos equites aggredi. Quos ſi fortè grauiora aliqua & præclara certamina delectant, iubete eos depoſitis telis, tectideis & grymea, ſumere uerum illud ſcutum, cuiuſmodi geſtaſſe dicitur Neſtor homericus, integrum ſcilicet aureũ, & loris bene con pactum, aut cuiuſmodi Achilli datum eſt à Vulcano fabricatum, in quo ſculta inerat terra, mare, cœlum, atq; illi è regione luna, cætera omnia aſtra, humanæ præterea res, bellatores, agrico-

læ,ſaltatores,paſtores,ij qui uxorẽ ducunt,quiq; iudicio contendunt: quod cum tantùm eſſet nõ ab uno quoq; geſtari facilè,aut tractari poterat: quemadmodum etiam (ut dici ſolet) non cuiuis homini cõtingit adire Corinthum: ſed ab Achille, qui à ſummis illis uiris Peleo atq; Aeaco procreatus, apud ſapientem uerò illũ Chironem fuit educatus. Qui uerò perfuga fuerit,& ad geſtãda arma minimè idoneus, ſed tamen gloriæ cupiditate incẽſus audeat in certamẽ deſcendere, hic primò quidẽ aſpectu fortaſſe aduerſarios terrere poterit: atq; ita ut ex his aliqui, in ipſo tumultu in alios reuoluti concidere cogantur: quòd ſi pugna acrior fiat, atq; ad ſummum perueniat ſtatũ: tum uerò illius ignauia deprehẽſa, alienis armis turpiſſimè denudatur. Horũ igitur & longè pluriũ malorũ cauſa, reijcienda & declinanda à nobis inuidia: in quo tamẽ deprehendatur, abigendũ moneo ab his ſacris tanquã eũ qui morbo ſcabiei grauiori

uiori cōflictetur. Quartū aūt ueri philo ſophi ſignū eſſe dicitur abhorrere à mē dacijs: nec ſpōtè mendaciū ullū unquā admittere, ſed ſummo ſemper illud o- dio habere. Veritatē aūt naturali qua- dam beneuolētia proſequi, colere, & to to animo amplecti. In quo ego maxi- mè admiror legislatorē, qui tali uallo ſa pientiā ac philoſophiā aduerſus omnia munierit atq; firmarit. Sed agè breui- ter rem hāc repetētes, ueritatis naturā cōſideremus. Ego certè nullā eſſe diſci- plinā aut ſcientiā exiſtimo, in qua non multiplex & ueritas, & mendaciū late- at. ſed illi etiam qui negocijs cōtrahen- dis implicati ſunt, utriſq; illis uti quam maximè agnoſcuntur. Qui igitur nul- li unquā mēdacio aditū patefecit: num eum cenſetis in paribus ac imparibus numeris dignoſcēdis, in laterib. & dia- metris cōtemplandis, à ueritate nō di- ſceſſurum: in uendendo aūt, emendo, & in omni re contrahenda illud agere, ut mentiatur? ut eos decipiat, quibus

cum contrahit? cumq́ꝫ ij qui uendiderunt dicant, deberi ſibi centum minas, quemadmodum ſuis in tabulis continetur: ille quinq́ꝫ & uiginti uelit defradare, quas etiam de codice delendas dicat? Atqui in diſciplinis qui mentiuntur, ſibi ipſi nocent: qui autem in emendo mendacium profert, alterum iniuria afficit. Nam quid ad nos ſi quis ſeipſum decipiat, & in eo erret quòd Ariſtoteles dicat, ea quæ ſunt aliquo in loco, nuſquam eſſe? aut quòd Plato cenſeat, deos immortales parentũ culpam etiam in liberis perſequi, & ab ijs ad quartam uſq́ꝫ progeniem pœnas expetere, aut aliquod eiuſmodi futile ac uanum protulerit? Hęc enim nihil ad nos niſi fortè ijs erudiẽdos liberos noſtros tradere uelimus. Sed ſi quæ nunquam audiuit, audiſſe ſe iuret, & ad peierandum paratior ſit quàm Lyſander Spartanus, neq́ꝫ ea proferat quæ mens concepit: hęc ego mendacia dico ijs pueris obeſſe, qui illo magiſtro ac doctore u-

tuntur

tuntur, & poſtremò omnibus quos loci uicinitas, & mutua cõſuetudo, uel alicuius ſermonis, uel facti participes eſſe cogit. Nullum eſt enim nequitiæ aut ſceleris genus, humanæ ſocietati magis infeſtum, aut inimicum, perfidia: quòd unicum uitium, ne multa quidem cuſtodia adhibita poſſumus euitare. Nam quòd unum erat nobis illius declinandi remedium, iuſiurandum dico, & deorum immortalium imploratio, his præcipuè abutuntur, ut improbitas tanta facilius deliteſcat. Stygiam quidem aquã & ipſam etiam Stygem rident: Tartarei dæmones, & tartarus ipſe nugæ uidentur, cum ſcilicet perfidus ille patratum à ſe aliquod ſcelus inficiatur. Hic igitur duplex animus ac ſimulatus, immaniorem & minus tractabilem efficit hominẽ qualibet fera. Audimus certè poetas indignantes;

Inſidiatorem colubrum, ſæuumq; leonem
Cautus ubi in ſyluis cernit uenator & audit,

Protinus agnoſcit qui ſint: quaue arte cauendi,
Qua capiantur ope: at non ſic humana uoluntas
Cernitur, aut certa capitur ratione, ſubinde
Ore aliud ſonat, atq; aliud ſub pectore condit
Inſidioſa uiri mens, quæ ſermone diſerto
Omnia blanditur, ſimulatq́;, premitq́; latentes
Arte dolos, agitatq́; uices, cælatq́; latebras,
Fingit amicitias uerbis, ſed corde profundo
Inſidias, cæcasq́; tegit cum crimine fraudes.

Grauis eſt autem ac moleſta, immoderata loquendi libertas: & omnibus in rebus proteruitas ac impudētia: ſiquis talem ſe geſſerit aut in medio foro, aut corā Græcis aut barbaris, & ſiue editis ſcriptis ſiue alia ratione uſus, id ſibi licere exiſtimarit. Atq; hoc quidē mendacij genus uitioſitatis plenū, à philoſophi animo penitus eſt reijciendū. Eſt & alterū genus, quòd alios certè nō admodū offendit, mentienti autem dedecus affert ac ignominiā. Neque enim id agit ut alterum uerbo, aut re uiolet aut lędat, ſed ad ipſum mendacij autorem ac res illius tantùm uidetur pertinere. Hoc autem in duas partes diſtributum

eſt ac bipartitum, aut enim dicendo, ea quæ inſunt reuera in ſeipſo, extenuat: aut auget, atque amplificat: alterum Ironia, alterum arrogantia uocari ſolet, ſibi ipſi autem detrahere, facetum eſt & elegans, & aliquando à philoſopho minimè alienum. Et ob id Socrates diſsimulantia hac utebatur, cum ſophiſtam aliquem ſuperbia, & ſapientiæ opinione inflatũ deridebat. Tunc enim magis intelligunt ſe nihil ſapere, cum inſipientiores ijs eſſe conuincuntur, qui nihil ſe ſcire palàm profitẽtur. Alterum autem genus, & moleſtũ eſt & odioſum, neq; aliquid eſt acerbius, & quo aures magis offendãtur, quàm de uirtute propria prædicatio, præſertim ſi tibi plus tribuas, propter ſciẽtiæ opinionem, quàm par eſt: cũ ij qui uerè uirtutis compotes laudantur, erubeſcere, & à ſe propemodũ laudem illam reijcere oporteat. Graue quoque eſt ac moleſtũ, audire lucri quæſtusq; cupidũ, nihil aliud laudantẽ niſi diuitias, cæ

lata uaſa, purpureas ueſtes, & aurum. Suffocaret nos quoq; glorioſus miles, & qualis à comicis affingitur. Neq; enim tanta alicuius rei ſatietate, aut faſtidio capiuntur homines, quãtam affert nimia proprij ingenij commendatio, acuminis, docilitatis, cognitionis multarũ rerum & memorię, librorum enumeratio Ariſtotelis aut Platonis, atq; horũ omnium crebra repetitio: ſiue cũ ad balneũ uoces, ſiue ad cœnã inuites, ſiue de Aeſchylo interroges, ſiue quæ inſula fuerit Simonidis Muſici. Neq; uerò alloqui huiuſmodi homines ſine ſumma animi moleſtia licet. Statim enim audis æs dodonæum: duas affirmationes, neq; eam eſſe rationem cõficiendorum ſyllogiſmorum in ſecunda, (quam ita Dialectici uocant) figura, neq; uerò noſter hic philoſophus qualem formamus, pecuniæ cupiditate aut lucri aut munerum capiatur, aut omnes illius cupiditates, à diſciplinis in illud ſtudium ueluti fluuius in

pronum

pronum ac præcipitem locum deferentur. Quæcunque quidem à maioribus relicta iuſtè accepit, horum eum uelim curam habere, quòd philoſophiæ præſidio, & uſui ſint futura: non autem ſtudioſè illi diuitiæ ſunt cōparandæ. Nec uerò intromittet in domum illud lucri genus, quòd ex forenſibus cauſis, ac iudicialibus controuerſijs parari ſolet. Neq; enim ij fontes à quibus defluxit, puri ſunt aut iuſti: neq; ullo ligone aut bidente efoſsi: ſed obſcura quadam, ac pernicioſa ratione & cuniculis collecti. Huius igitur legis ſeruandę ſi cupidi erimus, non patiemur eos qui philoſophiam profitentur, in iudicijs uerſari, clauſisq; Muſęis in ſuggeſtis uolutari, & in oratores ac milites conuitijs liberius ferri, multò autem minus ea illos ferre quæ neceſſariò ſuſtinere hi debēt: qui in iudicijs dies ac noctes, propter huiuſmodi quæſtum commorantes, aliquando pecunias ab ijs exigunt, qui cum antea mercede propoſita ad ſuæ

cauſæ patrocinium illos uocaſſent, iam cum aduerſario pacti, à forenſibus contentionib. ſeſe diſiunxerũt. Illud quoque nobis elaborandum eſt, ne permittamus Muſæa in prætoria commutari: aut muſarum templa foro præponi, & diſcentes cum litigantibus permiſceri: & Perſicam legem negligi, quæ à forenſi turba, clamoreq́ liberorum hominum congreſſus ſeparat atq; diſiungit. Præterea nõ patiemur domum ab ipſis extrui, cuius cauſa artifices fabros & ædificatores pacta & cõſtituta mercede non accerſierint: neq; ut illis citra hominũq; boũq; laborẽ cũcta ferãtur:

Aes, aurum, multis ferrumq; laboribus aptum.

Neq; uerò fame enecandi ſunt artifices, aut pictores in carcerem conijciendi: quòd parietes nolint colorib. gratis illinire, neq; etiam cõcedemus ut donato ſibi agro, cum eo qui dederit de illius finibus decertent: atque ita faciant ex cyatho amphoram, aliquid ſemper de uicini fundo detrahẽtes. Qua ratione

ne uſos ferũt Carthaginenſes, qui cum à Lybijs tantùm agri petijſſent, quantum extenſo corio capi poſſet, corio in tenuia lora ſecto, plus certè agri cõplexi ſunt, quàm quantum à Lybiorum liberalitate impetrarant: quem locũ adhuc Byrſam, ex illius facti nomine appellant, tenuitate nominis, agri amplitudinem diſsimulantes. Horum enim ſi ſtudioſus ſit philoſophus, & unius glebæ cauſa, uicinos iniuria afficiat: ecquando poterit uniuerſam terram intueri? ecquando ipſam & totum mare paruum exiſtimabit? cum trium aut quatuor glebarum cauſa, tot tãtisq́; cũris miſerrimè affligetur: eiuſmodi enim ignauia, ſordidi ac illiberalis animi eſt indiciũ, & ualdè rudem hãc corporis teſtam honorãtis. Quid ea enumerem quibus gloriãtur, ueluti elegãter, callidè & aſtu tè factis? aiũt enim ſe licitatoris partes probè ſuſtinere, & pluris rem æſtimare ac uendere quàm ipſe iubeat rei dominus; quem etiam

lucri parte priuantes arctiſsimis qui-
buſdam uinculis conſtringunt, ne id
pretīj quod deeſt æſtimare poſsit aut
deprehendere. Quòd ſi hūc tam ſordi-
dū & auarū, diſcipuli adeāt, paucis uer
miculis ueluti piſces allecti, elingues
magis ac muti efficiūtur quàm ipſi pi-
ſces. Huius tamen taciturnitatis ac ſtu
poris, impudēs præceptor mercedē e-
xiget, fremens & Aegida crebro cōcu
tiēs nūmos ſępe inuertēs, ueritus ne a-
dulterini ſint & uitioſi: & miſeros ac in
felices puerulos quòd ob paupertatē
& parentū orbitatem, mercedem ſol-
uere non poſſunt, cedens. Poſtea ta-
mē depoſito flagello, aurū ait, quod-
cunq; ſupra terram ſubterq; eſt, uirtu-
te inferius eſſe. Nihil enim aliud diui-
tias eſſe quàm terreum neſcio quid, &
interitui corruptioniq; obnoxium. At
que hæc omnia audientibus fortaſsis
ijs adoleſcētulis, quos cum pecuniam
exploraret, crudeliter uerberauit, atq;
ob id quòd aliquid ſordium nummis
adhę-

adhæſiſſet. Neq; uerò imprudens homo intelligit, orationem, quæ cum factis non conueniat, alienam eſſe, neq; uideri ab eo profectam, à quo reuera profecta eſt. An non huius ſimilis homericus ille Therſites, cum Græcis ait: Quem uinctum ducam? Hęc enim Achillis erat, aut Aiacis propria oratio, Gibboſus tamen ille ac deformis talia de ſe ipſo prædicabat, qui tamen ſtrenuus bellator & grandiloquus, uerberatus à ſapientiſsimo Gręcorum, ne loquax eſſet & curioſus, petulāterq; inueheretur in principes ipſos, & conciones perturbaret, dicitur lachrymaſſe. Sed opportunè irrepſit in noſtram orationem Therſites, & occaſionem attulit, ut ad aliud ſignum tranſiremus. Philoſopos igitur neq; maledicos, neque curioſos eſſe decet, neq; eos modò uerùm ne eorū quidem aſſeclas. Illud enim memoria teneāt uolumus, quod eſt à Platone ſcriptum: Si quid malè actum eſt in ciuitate, uel ſi quid labis cō-

tractumeſt maiorũ culpa, ſiue uirorum ſiue fœminarũ, id magis philoſophum latet, quàm quod dicitur maris harenę. Sapiens profectò uir Aeſopus ille fabulator fuit: hic ait, binas à ſingulis hominibus peras geſtari, alteram retrò, alteram antè, ambas malis refertas eſſe: hãc uerò aliena, alteram autem quæ humeris adhæret propria eius qui ferret continere: Et ob id homines ſua ipſorum mala non inſpiciunt, aliena autem acutiſsimè uident. Ego uerò uehémenter cùpiam has peras inuerti, ut mea ſolùm uitia inſpicerem, aliena autem non poſſem. Dici ſolet, nihil eſſe dulcius aut iucundius quàm omnia ſcire ac intelligere: ego uerò bona addendum cenſeo. Quid autem ſentiat, aut quid dicat ille qui eſt in comœdia coquus, ne laboremus, quando hæc nobis etiam ſcientibus non admodum ſunt profutura. Ille enim id ſtudebat, ut conuiuæ explerentur, uaria condimentorum genera parans & permutans.

mutans. Neque uerò eſt hoc loco deteſtandum ualde Carionis inſtitutum, propterea quòd eius ars praua eſſet ac uitioſa, ſed quòd ipſe improbus erat homuncio: neque enim domos ingrediebatur, ut artem illic ſuam exerceret: ſed ut multa temere effutiret, calumniaretur, ſuſurraret, & ea foras efferret, quæ à coquo uerberone minimè ſunt efferenda: qui quidem ob præclaram ſcilicet illam diſcendi auiditatem, in ea quam geſtabat ſportula erat ſuſpendendus. Neque uerò is ea tantùm quæ domi occultiora audierat, palàm prædicabat, ſed multa etiam addebat, & aſſerebat de ſuo, atque ingens per eum malorum acceſsio fiebat. Sed ô improbè ac ſtolidè Carion, audiſti illum ſacrificium feciſſe thure? dic igitur id quod audiſti: neque illud addas, nigerrimos tauros, aut ueruece mactatos eſſe. Tu uerò etiam idola ipſa enumeras, & commentitia neſcio quæ

effundis, quibus etiam ipſe Plato deluſus commoueatur. Quod ſi quid præclari ac honeſti audieris, egregiè contines, taciturnior ipſis Areopagitis: ſi quid autem mali, ex eo Iliadem texis & Odiſſeam, cùm tamen multa neq; ipſe audiueris, neq; ab alijs dicta uerè protuleris, ſed ipſe pepereris & texueris, poſtea indignaris, ſiquis te à malo Dæmone agitatum, & dijs inuiſum dicat, nullamq; te illi fidem habere ſimulas, ſed ira percitus grauiter quiritaris, cum tamen eodem tempore incredibilia & quæ iram commoueāt, tragicè commemores: atq; ita ut ſutoribus ac balneatorib. ipſis fiant notiſſima. Miſerum autem illum hominem & dijs inuiſum, cui uehementer ſuccenſuiſti, & in quem tam petulanter ferris: interim tamen ſi quis te interroget, & ob hoc teſtetur, nihilo tamen minus cum ad lucem protrahas, quàm Priami matrem. Nam tu ipſe, ut ego arbitror, idem es, & poeta & actor fabulæ: qui

cum tuam ipſius perſonam nobis loquentem inducere uerearis, ad alienas quęq; carent nomine cōfugis: id quod à Tragicis poetis nominum inopia fieri uidemus. Sæpe autem ſublata tota machina, deos & dæmones in ſcœnam introducis. An nō hoc eſt inſomnis calumniari? quin cum omnia membra ſomni ui ſoluantur ac domentur: alios quidem ſceleſtos atq; improbos ſopit, maledico autem petulantiæ occaſionē affert. Nam quicquid bonum ac fauſtum per quietem uidet, id totū uanū & inane per eburneas fores tranſit: conuitiatoribus autem & maledicis corneæ patent. Quin nulla his uiſa obijciuntur, ipſi uerò ea ad ſe accerſunt atque attrahunt. Manè autem maledicum hominem audias mœſtum ac triſtem, quòd ſuperiore nocte à dęmonibus uexatus ſit: quia familiariter fuit cum hoc aut illo, & cum impuro ac perdito homine in eodem cōuiuio fuerit: qui hæc aut illa commiſerit. Ex quo

etiam uerendum eſſe dicit, ne uniuerſa ciuitas illius hominis cauſa ingens aliquod malum ac detrimentum accipiat. An uos cenſetis, eiuſmodi hominem, omiſsis agreſtibus ſæuiſque moribus, aut per uigilias aut per ſomnum fore iuſtum, atque innocentem? & ſuſcepta ueræ orationis facundia, deorum & hominum laudes celebraturum? id quod feciſſe dicitur Achilles Homericus: quo tempore à prælio ſe abſtinebat: uel potius qualia Homerus ipſe commemorat, à quò hanc conſuetudinem noſtis perpetuò ſeruari, ut quæcunque recenſeat, utcunque abiecta ſint atque exigua, ea mirificè teſtimonij ſui grauitate confirmet: & uiliſsima quæque ſibi celebranda, atque extollenda cenſeat. Nam & puerulos pulchros appellat & flagella omnia ſplendida: Admirari præterea uidetur plantam illam, quæ fuit in Delo ſata. Neque uerò bonus ille ſubulcus, tantæ illius uerſuum

ſuum magnificentiæ, & celebritatis eſt expers. Quippe qui quantum in ipſo eſt nobis perſuadet ſubulcum illum inter homines ſuum principem eſſe ac regem. Acerbius autem in unum Therſitem inuehitur, ob id opinor, quòd cum maledicus eſſet con uitiator, & incomptis ac inornatis uerbis abundaret, illa tamen incondite ac temere, nullo adhibito delectu effundebat.

EIVSDEM IN PATREM ſuum orationis ſecundæ, ARGVMENTVM.

HIERONIMO DONZELlino interprete.

Ἐπιτάφιος hæc eſt oratio, ſeu funebris, in qua ex demonſtratiui generis locis deductis argumentis, Themiſtius ſui patris laudationem atq; encomium facit. Ab animi autem potiſſimum bonis uidetur illum commendare, quorum certe autor eſt philoſophia. Ea uero cum triplici ratione ſit diſtincta, & prima de uita & moribus, altera de natura & rebus occultis, tertia de diſſerendo ac iudicando nos doceat, in ſingulis partibus ſumma cum laude patrem ſuum uerſatum fuiſſe dicit. Ita ſane ut in philoſophiæ myſterijs celebrandis tanquàm ſacerdos præfuerit, & Academicorum, Peripateticorũ, ac Stoicorum placita ſibi habuerit tam perſpecta, ut eum προφητὴν ſeu interpretem omnium uocet, ac eo enarrante, nihil obſcurum nihil in uolutum uideri potuiſſe. Poeticis quoq; commentationibus ac rhetoricis orationis luminibus & ornamentis uſq; adeo excelluiſſe, ut eo nomine prædicet fuiſſe admirabilem. Ex agricultura etiã ſummam ſemper uoluptatem cepiſſe, ac eius uſqueadeo ſtudioſum extitiſſe, ut ruſticis operibus aliquando ſe exercuerit, ac proprio agro excolendo operam dederit. Ob animi uero ac morum probitatem & honeſtas actiones, maximis illum laudibus

bus in cœlum uehit: nunquàm enim ocioſas de uirtutibus diſputationes, ſed quæ cum lingua conſentirent facta illum probaſſe, quæ uero ab actionibus diſſentirent uerba, laudare nunquàm potuiſſe. Demum cum Hercule & Socrate facta illius collatione, diuina quadam prouidentia tanquàm abſolutiſſimum uirtutum omnium exemplar è cœlo miſſum dicit. Ideo ab eo tanquam in Deorum numerum relato, auxilium precatur, eius ueſtigia quammaxime cupiens imitari.

THEMISTII PHILOSOPHI ORATIO SECVNDA, *quæ* Ἐπιτάφιος *inſcribitur.*

HOC ſanè tempore ut funeſtis parcã uocibus, diriſq; temperẽ eiulatibus, atq; iuſtiſsimam lachrymarũ uim cohibeam, non per uos modò, ſed & per philoſophiam ipſam factnm intelligo. Nam ipſa ubi me acerbiſsimo ſuccumbentem dolori, effuſeq; in lachrymas delatum ſentiret, tum porrò in-

dignari, atrociter minitari, ac præterea non leui me quodam atq; inſigni affe-cturam damno minabatur, inprimisq́ fore, ut paternis non tantùm bonis ex-hęreder funditus, & euertar, haud illis quidem dixerim, quæ paſcuis amplis, prædijsq́, nec non numeroſo pecoris armentorumq́ genere continentur, quandoquidem neq; ego ſolus ex fra-tribus, ambio in paterni iuris ſortem ſuccedere, aut illam ſolus inuadere cõ-tendo: quinimò (id quòd longè me magis excruciat) ut quamprimùm ex æedituorum eius faceſſam albo ac peni-tus delear. propterea omnino uideo nunc efficiendum, ut mihi quoq; non ſecus atq; olim Laertis filio, ad dolo-rem nouum, cornu ferriq́ inſtar, ob-dureſcant oculi, obrigeantq;: cui dum grauiſsimam in diſceſſu patriæ cõmi-ſerationem ex Penelope uxore conce-ptam diſsimulare, & pro uiribus occul tare nititur, Homerus tradit lumina obriguiſſe. tametſi haud ęquè magna

planè

plane Vliſsi tum conſtantia, atque animi magnitudine fuerit opus: quippe qui breui poſtmodum ſperaret fore, ut optato uxoris ſemel potitus cõplexu, diutiſsimè in ſecura eius demum conſuetudine conquieſceret. Tu uerò age ô parentum dudum parens optime, deorum modò cœlitum auguſtiſsime, effare, quãdo cõgreſſu iterum mutuo, quãdo aſpectu tuo iucõdiſsimo rurſus dabitur frui? Equidem philoſophiæ ſi qua fides eſt habenda, illa profectò feli ci hoc te in cœlũ itinere euecto, indidẽ reuerſa nobis renunciat: quod ubi primùm naturæ ſolutus uinculo, nõ eo ſanè quod amplius tenerere uel effracto, uel diuulſo, ſed ipſo potius ſeipſum laxante cedenteq; ſenſim, liber euaſeris, in aſtra cœlũq; protinus ſublimem, iuncto equorũ immortaliũ curru, elatũ fuiſſe: qui ſanè ab incunabulis uſq; per te educati, alti, doctiq; unà uiam ingredi, atq; pari ſimul uterq; gradu ſuperna petere, nõ ſanè qua cęteri ſolẽt pertinaciã

cõtumaces iugũ ut alter ſurſum in ar-
dua nitendo, deorſum alter illud pre-
mẽdo diſtrahãt, et mutuò colluctẽtur.
qua propter hoc in itinere tibi haud
quaquã ſtimulis frȩnis ue in ferocientẽ
contumacemq́ꝫ equum opus fuiſſe: ſed
illum conſorti obſequentẽ ſuo, potius
cõuehendoq́ꝫ currui perquam mitem,
uſque ac manſuetum ſubiję̃ſſe: donec te
tandem ſacro illi deorũ ac dæmonum
propitiorũ choro appropinquantem,
fauſtis omnes uocibus aſſurgentes, lȩ-
tisq́ꝫ acclamationibus egreſsi obuiam
ſalutãtes amplexãtesq́ꝫ mutuò excepe-
re. Nec alia me hercule de cauſa, quàm
quòd ſorte propter quã è cœlo in terrã
fueras dimiſſus, illis fideliter largéque
perſoluta, ad illos rurſus integer pla-
neq́ꝫ incorruptus rediјſſes: quodque
Rhadamanthus ac Minos alioquin ſe-
ueriſsimi ſcelerum uindices, aut in frõ-
te aut à tergo, animum tibi nulla pror-
ſus facinoris labis ue nota inuſtum in-
fectum ue deprehendiſſent, hic te mo-
dò

dò iuxta Socratem atque Platonem reclinant: quorum quidem numero diuinus quoq; Ariſtoteles acceſsit: congreſſu cuius iucundiſsimo in hac etiam peregrinatione ut fruerere tãtopere ſtudebas. Neq; mehercle terrena corporis moles unquam potuit diſiungere neque diſpeſcere, quamuis adeo magno à tuis delicijs interuallo dirimere. Ea propter, ille, ò fauſtum felixqúe caput, egregiè nimirum præter cæteros omnes fouet & amplexatur, præ lætitia planè neſcius, qua nam ratione tibi gratiam referat, pro interpretis atque ſacrorum antiſtitis munere, quo tum illi functus es, illuſtrius quàm Bacis & Amphylicus Apollini, tum ſapientiæ, quàm ille 'a ſe & inuentã & excultam profunda obduxit caligine, atque penitus obuelauit: ſimul illa ne bonis doctisqúe ſeſe ſubduceret deſideraretur qúe, ſimul ne uulgò interim contemptui haberetur, atq; in triuijs abiecta obuerſaretur. At tu ab initiatis nõ

indigniſq; profanum uulgus procul ſecernens, cum omnem protinus tenebrarum caliginem abegiſti, tum uerò augusta philoſophiæ ſimulachra illis patefeciſti, uſq; adeo ut quicunq; antea petiturus adyta propius acceſsiſſet, horrore continuo ingenti, cæcaq; oculorum caligine correptus, præ animi anguſtia, totiusq; corporis impotentia, defixus uacillansq; hæreret, neq; planè ueſtigijs ſatis inſiſtendo, ualeret ad ullum introferentis uiæ initiũ, gradum explicare. At ubi antiſtes ille reſeratis templi foribus, ueloq; ſimulachri detracto, deterſum prius undiq; et perpolitum, ac ſuo tandem reſtitutum nitori, iam micans cœleſtiq; refulgẽs lumine, initiatis protulit ac patefecit, diſcuſſa tum nebula, pulſiſq; tenebris, philoſophię primò intelligentia ſenſusq; abditi, ex profunda emergentes caligine, proprio ſplẽdore iam colluſtrati, in apertũ prodiere. Hiſce miſterijs Venus prælucens, procurãdiſq; mutuò pręce-

rant

rant Charites, quibus tum ſanè Ariſto
telis perſona atq; integra eius effigies
haud pręſto fuit, nihilominus quęlibet
tum ſapientũ adyta patebant: ibi ſacra
& myſteria ſpectare omnia licebat, par
tim quę Pythagoras Samius quõdam
ex Aegypto in Græciã deportaſſe fer-
tur, partim quę potiſsimũ in Pęcile pul
cherrima Stoicorũ porticu à Zenone
Cittiæo eius familię principe poſtmo-
dũ ferũtur inſtituta et cõſecrata. magni
ſiquidẽ Platonis ſacra, dogmataq;, A-
riſtotelis placitis quã proxima, eodẽq;
ambitu cõtineri ac circunſcribi firmiſsi
mè aſſeuerabat ac teſtabatur. Neq; ex
Lyceo ipſe in Academiã cõmeaturus,
ſtolam unquam habitúmue immuta-
bat: ſed ſæpenumero Ariſtotelis ſacris
operatus, eodemmet dein ornatu in
Platonis illico ſacrificium diuertebat
ac deſinebat: ſimul egregiam ad my-
ſteria præparationem, ſimul ſeptum
quoddam ac munitiſsimum philoſo-
phiæ præſidium molitus. Cum enim

infeſtiſsimis Sophiſtarum incurſionibus pateret adhuc, & peruia eſſet philoſophia, Ariſtoteles fuſis continuò longequé fugatis hoſtium inſidijs incurſionibusqué, uallo eam munitiſsimo firmatam in poſterũ reliquit: quãuis nonulli interdum torpore, ignauia qúe adducti, uel inermes inunctiq; audeant illam oppugnare, quo fieri interdũ uidemus ut percelebris & cętero quin grauis opinio ab imbecilla peruerſaq; ſupplantata, & præſtigijs ac fallacijs labefactata, neque de hoſtibus meritas pœnas ſumere, neque ſuis demum ualeat opitulari. A ſapientiſsimo uerò Platone ut diſſentiret, nõ modò ipſe nunquam ſibi perſuaſit, ſed ne Ariſtoteli quidẽ ipſi forè id facilè putabat. At porrò Epicurum Neoclis filium, cum indiuidua quædam corpuſcula, quorum nullæ eſſent partes aſſereret, argutum quidem & facundum exiſtimabat, illum tamen cùm palàm adductum, qualis nam eſſet, non ſemel apud

apud imperitum uulgus demonſtraſſet, affuſo eius capiti unguento, ut uoluptatis ſectatorem ex ſapientum catalogo, quamcelerrimè expungebat. Hos uerò contrà, ac longius quidem ſemoti in parte altera habitant alij: uerũ quemadmodum ex patenti ſpatioſaq; uia anguſti erumpunt calles, quorum alij longius prouecti productiq;, alij propius, in eundem tamen omnes finẽ recurrunt: ſed ubi Homerum ad ſe poetam accerſebat, eumq; Ariſtotelicæ atque Platonicæ diſciplinæ ueluti fontem autorémque apud ſe in hoſpitium recipiebat: tunc tibi medius fidius homerica buccina fuiſſet opus, qua paruper ab illo mutuatus ita decantares:

O quantũ hunc homines uulgò uenerantur amantq;.

Neq; tamẽ ueterẽ illam ſcenã Theatrũ que, tanquã profana & prorſus à philoſophia abhorrẽtia eſt aſpernatus: quin imò frequentiſsimè Sophocles, Euripides, atq; generoſus ſimul Pindarus,

Sapphóque eximia, concordi omnes uocem concinentes, rem diuinam ſacráque myſteria peragebant. Vnde liquidò patet, eum nõ ſe tantùm ad philoſophiæ normam effingendum conformandúmque tradidiſſe: neq; unam tantùm linguam ſibi perdiſcendã propoſuiſſe, quinimo & in latiſsimos rhetorum grammaticorúmque campos quandoque diuerterat, & iucundiſsimè in his immorabatur, adeo ut ſi fortè alij quopiã de philoſophia ſermone inſtituto aggrederẽtur dicere, tũ eos mehercle & obſcurius & difficilius diſſerentes audiſſes quàm ſi aut barbara aut etiam Perſica lingua omnino loquerẽtur, at eo diſſerente diſputánteue, ſi uel Vinitor fabérue præſto fuiſſet, fiebat planè ut interea ſe non luſiſſe operam putarent, ſed habebant quod ſapienter præclareq; ab eo dictum, domum referrent. Et uerò ipſe coram principe luculenter de principis munere diſſerebat, apud politicũ hominem, quæ

de

de optimè adminiſtrãda republica tra dũtur, apud agricolã quę de agricultura cũ magna omniũ admiratiõe exquiſitiſsimè tractabat. Inter cæteras porrò artes agriculturã egregiè cõmẽdabat, mirificeq́ eius ſtudio tenebatur, nihilq́ue præterea aliud ęquè facilè, laudabileq́; in laboribus philoſopho ſupereſſe leuamen aſſeuerabat, quàm quod ingraueſcenti iam, annisq́ cõfecto corpori, ipſa pręſtaret agricultura, eamq́ percommodam atq́ in primis idoneam corpori exercitationem adferre, uoluptatemq́ temperantia conditam dictitabat. Qua ex re ſi ſępius ad ingraueſcentem iam ſenem ruri commorãtem contendiſſes, eum profectò uel nouellas cõſerentem plantas, uel adultas falce repurgantẽ, uel certè alijs aliò transferendis deditum, aut deniq́ aquam in plantas ſataq́ è fontibus deriuantem deprehendiſſes, ibiq́ quopiam ſtatim ex fructibus tibi maturè decerpto, oblatoq́, poſtmodum per ſingulos ui-

tium ordines in quincuncem digeſtos comiter deducto, eximiã racemorum pulchritudinem, magnitudinemq́ feſtiuiter commoſtraſſet: atque eorum more qui aliquorum genus recenſent, commemoraſſet: interim unde nam fuiſſent ſibi uuarum quaſi deductæ coloniæ potiebatur agello per ſe aliàs ſibimet parato: in quo excolendo effoſsis etiam aliquot qui amplius antea non ſcaturierant aquarum fontibus, tantũ laboris ac diligentiæ curæq́ poſuerat, ut eum in quam honeſtiſsimum ac philoſopho longè aptiſsimum receſſum ac diuerſorium compararit. Talis fuit patris mei agellus, conſpicua ſatis uox quidem, quamuis Græci ſermonis idioma non admodum referre uideatur. Vliſſem profectò olim ſuum ipſius patrem huiuſmodi uerbis alloquutum ferunt, ut diceret arbores certè ſibi ac uineas, cæteraq́ abundè ſatis elaborata, atq; optimè exculta uideri: at ipſum ornatu prorſus uacare omni impen-

impendioq́; magis incultum, ſitu ſqual lorecq́; oppletum nimio, dum ueſte ſcilicet uſqauedeo lacera amictus, pannoſoqúe tectus habitu, atq; præterea calceos perputres indueret. Ego uerò parenti memini meo plantarum cultum atq; curam, præcipuo hominis ornatu honeſtiſsimoqúe longè poſteriorem fuiſſe: haud meherclè quatenus tunicã ſplendidam, tenuiſsiméque cõtextam geſtaret: ſed quia animo minimè inculto agreſtiue præditus eſſet, neq; enim agrum aut hortum ſibi uineamq́; adeo appoſitè atq; eleganter excolendam curauerat, ut fœcundi eſſent & fructuoſi, animum autem interea morum feritate obſitum, planeq́; rudem negligeret. Vnde neq; Alcinoi perpetuò uirentes hortos, fructusq́; ſuppeditantes nouos, neq; etiam aurea illa Heſperidum mala cum minimo illius dicto ſaluberrimoqúe præcepto conferenda cenſuerim. Atqui in oratione ſermoneqúe, haud ſolùm ille quidem uerborum ni-

torem ſplendorémque ſpectabat, uerum quemadmodum qui in cultu terræ ſola tantùm nemora, platanis patulis, procer íſque cupreſsis conſerũt, graui poſtea frumenti atque uitium penuria laborantes, potiorem iſti uoluptatis omnino quàm alimentorum uidentur habere rationem: ita propemodum illis quoque in oratione propoſitum fuiſſe dicebat, qui auram tantùm non popularem ſectantes, atque aurium ſtudẽtes uoluptati, omni qua ualent ratione audientium animos auréſque permulcere conãtur: at quibus, cum augeri animus inprimis, fouerique amat, tum uerò ipſe attolli magis, ſéque ipſo præſtantior reddi ſolet, ea iſti nec prorſus norunt dicere, neq; ullo modo exprimere contendunt. Hos itaque non amplius philoſophis quàm illos agricolis annumerandos, ſed meros adulatores aſſentatoréſque, & pulmentorum obſoniorúmque inſtructores, atque pro medicis gymnaſtiſq;

ſtiſq́ quos ſe perperam uulgo profiten tur & turpiter uenditant, formę ac pul chritudinis aſcititiæ conciliatores & ar tifices habendos affirmabat. Quin & quicunq́ præcepta locosq́ ſibi de me- dia philoſophia ſumptos, memoriaq́ complexos, ualerent commodè elegã- térque tractare, & ſubtiliter diſſerere, actionibus ijs mox quibus de agerent loci illi, penitus poſthabitis, hos in- quam illi appoſitiſsimè aſsimilandos putabat, qui propterea quòd ſibi cor- pus omnino curandum ſtatuerit, me- dicamenta undique comparet ſedulo, herbáſque, quæ contuſæ, inuicémque commixtæ corporis demum ualeant languori opitulari: ferrea inſuper chi- rurgicáque organa nauiter ſtudioſéq́ fabricãda curet: ualeat quinetiã quæcũ que Hippocrati illi Coo. Eraſiſtratóq́ atq́ Diocli pariter de ſecũda ualetudi- ne literis ſunt prodita, memoriter recẽ ſeri. uerũ ubi iã corpori magis magisq́ in dies in deterius collabenti, uniuerſa

illa pharmacorum ſupellex apparatusque omnis foret applicãdus, hic tum medicamentis omnibus inſtrumentisqúe unà cum Hippocrate ſpretis abiectisqꝫ, ipſe ſe in lectulum tapetibus atqꝫ purpura ſtratum reclinet, menſam ad hæc Siculorũ atqꝫ Sibaritarum inſtructã more, ſibi iubeat apparari, ibiqꝫ uirgũculę cuiuſpiã Corinthiacæ, uel etiã pueri Ionici miniſterio uſus, ſe mero totum proluat & ingurgitet, cibisqúe affatim diſtendatur: hunc profectò nihil emolumenti plus, opisúe ex illo medicamẽtorum aparatu percepiſſe, quàm qui præcipuos in philoſophia locos ſaluberrimaqꝫ præcepta meditando aſſiduè, commentandoqúe, nullis ea operibus ſtabilienda imitandaqúe cenſeat: neqꝫ iſti planè plus cum philoſophia commercij intercedere, quàm illi alteri cum medicina liquidò cõſtare aiebat. Haud diſpari ratione athletam quoqꝫ uulgò eſſe deridendũ meritò, qui nũc graues oſtentando halteres, numeroſa nunc

nunc recenſendo certamina, latos circumferat humeros, molles & effœminatos, quiqꝫ ceruicem luxu mollitieqꝫ affluẽtem delicatè ac molliter inflectat, atqꝫ is demum neqꝫ in arenam deſcendere ad pugnã ciendam capeſcendámue, nec uelit, nec audeat, uerùm ad balnea ſegnis perdius & pernox deſideat, ibíq́ue puerilem paleſtrã extimeſcens, ſuas balneatoribus ac ſe perfundentibus ſtrenuas pugnas dinumeret & extollat: hoc itaqꝫ modo & in philoſophia uir præclarus agendum cenſebat: haud enim eſſe ſapientiã ſermonis præſtantia oſtentandam, neqꝫ ex eo ſtatim de cuiuſquam uirtute faciendam eſſe coniecturam, ueluti ſi bonorum ſcitè ſapienterque partitionem inſtituat, & uirtutem ipſam bonorum omnium aſſerat eſſe præclarum, longeque maximum, ac deinde cætera ea bona, tum corporis, tum quæ extra ſunt, fortunæ ſubdita nutui & imperio, longo poſt ſe relinquere interuallo: uerùm ſi nec

diſsimili morum atque animi inſtituto, eadem ſentiat continuò & perſequatur, nec non laudabile uirtutis facinus atque præclarum quibuslibet opibus & gloriæ perpetuò anteferendum ducat. cōtrà, qui ſecus foret inſtitutus, uerbotenus tantùm philoſophum, at mēte atque animo à uero philoſophandi genere quàm lōgiſsime diſtare. Horum porrò omnium Socratem illum Athenienſem uel Apollonis teſtimonio, ſapientiſsimum appellatum, ſpectatiſsimum proponebat exemplar, quippe qui cùm aſsiduis uxoris laceſſitus cōuitijs, tum Critia ipſo unà cum triginta tyrannis ſibi atrociter interminanti niſi præſentem uitæ ſuæ rationem ac inſtitutum corrigeret ac emendaret, ſe ſcilicet morte, exilio, extremiſq; demum malis affecturum: uultu iſte interrito immobiliq;, nihil unquã quicquã ueritus eſt, neq; expauit. Nullum enim aliud perinde formidoloſũ horribileq; diſcrimē, periculúmq; arbitrabatur,

trabatur, quã ſiquis ſe pro bono pióq; improbũ atq; impium præſtaret. Qua de cauſa nec Leonẽ Salaminiũ capitis reum, iudicio ut ſiſteret, neq; ut ſuo ſuf fragio Periclem Eraſinidem, Diomedontẽq; Imperatores dãnaret, perſua deri unquam potuit quamuis id populus acriter exigeret, atque ex ſuperiore loco infeſtis clamoribus inceſſanter ab eo poſtularet. ſed nec rurſus poſtmodum cum ab Athenienſibus capitis eſſet damnatus, neque cum deinde in uinculis detineretur, quicquã ab eo unquam inter familiares amicóſque, qui eius ſalutandi cauſa eò uen titabant, niſi ſapienter præclaréque dictum aut factum memoratur: uerùm de animorum præſtantia, de immortalitate, de Dijs inferis manibúſque, déque his quæ in eis continerentur locis: quot quantáque illic pios pro bóſque maneant bona: quot rurſus ſce lerũ pœnæ atque cruciatus in impios atque ſceleſtos excogitẽtur: quæ

exerceantur ſupplicia, ſapientiſsimè, cumque omnium ſtupore diſſerebat. Vnde iure merito nõ multò poſt Athe nienſes, cum nephandæ in Socratem ſententiæ paſsim uulgóque pœniteret, uniuerſi ſimul proditi corruptíque iu dicij Melytum reum peragunt: Anytus pariter raptim fugam ex urbe arripit, atq; ab incolis ponti Heracleotis, Socratis credo mortem uindicaturis, poſtea lapidibus obrutus, ac interfectus perhibetur. Qua ex re monumentum Anyti ibi in ſuburbio, nec procul à mari, ubi ab Heracleotis comprehen ſus fuiſſe dicitur, noſtra etiam tempeſtate extat, & palàm omnibus uiſitur atque apparet. Huiuſcemodi etiam ipſe pater meus dicta factáque ſua fuiſſe, & Socraticis quam ſimillima declara uit: quibus porrò omnibus facilè ſuſtinendis, egregiéque perferendis, ipſe dum in humanis ageret idoneum habi lémque ſe præſtitit & cõparauit: quòd uidelicet philoſophia non uerbotenus

ſed opere atq; exercitatione proximè adeunda ſit ac capeſcenda. Proinde iure merito mea quidem ſententia Herculi Iouis Alchmenæq; filio, cum ueterũ illorum inſtituto præclarè actum putamus, quem meritis honoribus minimè defraudatum, primò in Deorum numerum retulere, mox ſacellis illi priuatim publicéque erectis ac dicatis, tot ſtata ſacrificia, ſolennéſque cęremonias quotannis inſtaurandas poſteris tradidere: quot non heroi modò cuilibet, uerùm & dijs patrijs, quinimò ſupremo quoque tribuere opifici, in primis fas piumq; foret, propterea quod maximè inſignè ſpectatúmque uirtutis uerè exemplar, unum inter mortales ſeſe Hercules exhibuerit, quódque uniuerſo terrarum orbę peruagato, omnem ipſe ex eo tyrrannorum ſæuitiam, ac belluarũ imamnium feritatem, funditus ſuſtulit, atque in perpetuum deleuit. Vicium nanque exiſtimo, apris ipſis longè ferocius, leonibus truculen

tius, triplici cane impudentius, longéque pluribus quàm Hydria ipſa capitibus præditum. Ideo huiuſcemodi belluam expugnaturos profligaturóſque, non indignos eſſe dicebat, quibus Luci, ſacrificia, atque ſacerdotes publicè dedicarentur, nec præter fas meritúmque eſſe, ut terrena compede exuti, & parte ſui meliore ſublati, atque in cœleſtem ſortem aſciti, mortalibus mox ut propitij, ut malorum depulſores, atque humani generis conſeruatores colantur & appellentur. Atque immortales ipſos deos arbitror, quum quonamuſque humani uis animi atque uirtus proferat ipſa ſeſe interdum, & & euehat, mortalibus indicandum ac in memoriam reuocandum ducerent: quemadmodum Herculem aliàs, atq; mox Socratem, ita te prorſus, uerùm longo pòſt interuallo, pater optimè terris protuliſſe. cæterùm tu felix

iam

iam ac perbeatus, ad auguſtiſsimos unde fueras demiſſus Deos euectus, influctuanti nos cœnoſoq́ malorum demerſos pelago deſeruiſti, unde nobis miſeris emergere dudum cupientibus. éque palude & profundo clamantibus luto nullus præſto adeſt, qui aliquid laturus opis dextram porrigat, nóſque omnino attollendos curet. Propterea hoc nobis ſupereſt unum, uti ueſtigijs tuis nitamur inſiſtere, quò ab illis ne latum quidem unquam deflectentes, ad beatas iſtuc ſedes aſpirare, demúmque peruenire contingat. cum præſertim tu ſæpe aliàs de me, aquilæ ritu legitimos pullos in ſolem exploraturæ, facto periculo, mihi ne oculi lucidiſsimo ueritatis ſplendori ſuſtinendo, perferẽdóq́ idonei forẽt, frequẽter ſpe optima ſuffultus, alacríſque dimiſeris, geſtiens lætabundúſque, quòd directis in aduerſum ſolem oculis, eius

ſpectando contuendóque radios, me tibi genuinam legitimámq; ſobolem probarem. Haudquaquam igitur ſi tum oculorum acies in primis fuit intendenda, hoc tempore illis connuiuẽdum putabo: quinimò & pro fœdere aut certè pro ferendo ſuffragio utique contendendum eſt, ut ne patris omnino ſed philoſophi fuiſſe uideatur. Tu uerò nato abs te prece iugi cõtendẽti, præſtò aderis, Auguſtiſsimè pater, eique anceps ſubituro certamen, uirtutem atque animi robur ne graueris deſuper inſtillare.

THE-

IN THEMISTII PHILOSOPHI de amicitia orationes III.

ARGVMENTVM.

In ipſo orationis exordio, acriter inuehitur in eos, qui neglectis ijs ſermonibus, in quibus agitur de amicitia, iocoſis, minimeq; ſerijs delectarentur. ſed ne ſtatim illorum animos alienare à ſe uideatur, inſinuatione utens, non tam ipſorum auditorum culpa quam oratorum uitio id fieri dicit, qui leuioribus occupati quæque iucundiora ſunt, de ea prorſus reticerent. Poſtea neceſſariam eſſe humanæ uitæ ac ſocietati amicitiam oſtendit, eosq; ad eam amplexandam pluribus hortatur. Quæ præterea ratio ſit ineunda diſcernendi uerum amicum à falſo declarat: itemq; docet quibus modis concilianda ſit alicuius beneuolētia, idemq; in amicitia retinendus. Poſtremò non nulla de curandis amicorum uitijs doctiſſimè tradit, & uenuſtiſſima fabella prodici philoſophi de Hercule orationem ipſam concludit.

THEMISTII PHILOSOPHI DE AMICITIA oratio tertia.

NON poſſum ſatis mirari uiri optimi, quid ſit, quòd ſi quis uniuerſam Troiani belli hiſtoriam, & qua ratione, tamdiu cum Græcis Troiani conflixerunt, uobis exponat: uel ſi de ingenti illo atque innumerabili Xerxis exercitu, quem ſupra Helleſpontum contra Græciam adduxit, narrationem inſtituat: uel quot incõmoda ipſa Græcia ſuſtinuit ex ſeditionibus, ea uos oratione tantopere delectemini, eáque cõmemoratione aures ueſtræ demulceãtur, ueſtróſque liberos ab Achillis ira initium diſcẽdi ſumere, omnino dignũ & honeſtum exiſtimetis: tanquã ea ad erudiẽdos illos maximè ſint idonea: & tum demũ ſapientiores futuri, cum rerũ pub. ac priuatorum etiã hominũ inimicitias ac bella, quęq; ab his profectę ſunt calamitates, habuerint cognitas.

Eas autem orationes, quibus amicitiæ uis, & cōmoda hominibus per ipſã im portata explicantur, omnino neglexiſtis: neq; ipſi de ea aliquid audire, nec liberos ueſtros ad eã capeſſendã accendere uoluiſtis? cũ tamẽ ex hominũ uita ſimultatẽ, & odiũ delẽdum cẽſeat ipſe poeta qui à cõtẽtione poematis ſui initiũ ſũpſit. Nemo enĩ etiã ſi reliquis bonis abũdaret, ſublata amicitia, uitã ſibi uiuẽdã exiſtimaret. Quicũq; igit̃ amicitiã minimi faciẽdam duxerit, is ſe ludibrio, & cõtẽptu dignũ intelligat: cui autẽ ea res facilis uidet̃ Theognidẽ audiat

Paucos inuenies duris in rebus amicos
Qui fidi miſero ſemper adeſſe uelint

Cum igitur tã inſignis res ſit amicitia, quid cauſę eſt quòd tam ſocordes eſtis maléq; erga huiuſmodi orationes affecti? An ueſtra id culpa fieri minimè eſt exiſtimãdũ? Nam & libẽter auditis, & prõptè quicqd ab alijs in mediũ afferri ſolet: ſed potius quod ab huiuſmodi orationũ genere abhorrẽt propemodũ

oratores. Alij enim nos in unum colli gentes, laudibus extollunt: alij eloquẽtiæ uim oſtentant: canunt alij dulciq́ ac leni harmania aures ueſtras mirabiliter demulcent. orationibus autẽ quibus hominum uita bene, ac præclarè inſtituitur, mihi non admodum abundare uidemini. Atq id non ueſtro certè ſed illorum uitio, qui cum philoſophiam profiteantur, ſuo ſe functos officio arbitrantur, ſiquid in adoleſcentiũ aures, in aliquo angulo inſuſurrauerint, atque id uos deſiderare, præterea nihil exiſtimant: forum ac media urbis in quibus ſummos ac ſingulares uiros poeta uerſari dicit ſubterfugientes: id quod probroſum ac turpẽ Callicles iudicauit. Sed hos aliquando ſinamus illic eſſe ubi libentius uolunt. Nobis in præſentia enitẽdum eſt, ut in ipſam lucem orationes proferamus, eáſque turbam ferre & tumultum, ac populi unà conſidentis uocem ſuſtinere aſſue faciamus: Illud ſcientes, ſi ſingulis pro-
deſſe

deſſe poſſunt, pluribus etiam aliquid utilitatis, commodíque allaturas. Neque enim cibis orationes ſunt ſimiles; qui ſi unum aut alterum, plures tamen conuiuas explere non poſſunt. Quinimo Dei Opt. Max. radijs comparandæ ſunt, qui mille oculos non minus quàm duos illuſtrāt. Sed eò redeat noſtra, unde prius digreſſa eſt oratio. Pręclarum ſanè eſt, eum qui præcipuo aliquo equorum ſtudio tenetur, eam artē callere, qua præſtantiores equos à deterioribus poſsit diſcernere: auri pręterea cupidos decet lapidem Lydium domi habere, quo aurum bonū ab adulterino facilius ac melius ſecernant: meliores quoque is boues poſsidebit, qui in ijs dignoſcendis aliquãdo uerſatus fuerit. Eadem ratione nauigium nautam, & excellentiores canes uenatorē uideo habiturum. Ego & ſi aliarum rerum prorſus ignarus ſum, atque ita ut neque mihi de rebus ipſis iudicium arrogem, nec diiudicandorum earūdem

ſcientiam me tenere profitear, unius tamen rei ueræ ſcilicet, germanæ ac minimè fucatæ amicitiæ ſtudioſũ me eſſe dico: eámq; lõgè magis poſsidere cupiã, quàm aut Nicęum equum, aut Celticũ canem, aut Darij aurum, aut Cretenſem taurũ, aut inſignẽ illũ quem in cœlo fabrefactum fuiſſe Homerus dicit Achillis clypeũ, uniuerſum cœlũ, Solẽ Lunam & è regione Solis, mare, terrã, agricolas, nubẽtes, litigantes, ac ipſos etiã bellatores cõplectentem. Verùm qualecunque eſſet ſcutum illud, erat tamen amicitia uilius atque inferius: id quod ipſe Achilles apertè declárauit. Neque enim interitum amiciſsimi Patrocli moderatius ferre potuit, accepto à matre clypeo, quin alterum ſcutum amittere maluit, atque id ne amicus mœrore nimio conficeretur: rurſúſque alterum illud à matre accepit, ne amicus ignominia aut infamia aliqua notaretur. Itaque ego incredibili huiuſce rei cupiditate accenſus, aliqua

qua ueluti indicia mihi ipſe compa-
raui, quibus germani amici ab adul-
terinis diſcerni poſsint: totúſque in ea
ſum inueſtigatione, ut aliquem qui
eadem qua ergo ratione affectus, ijſ-
dem quoque delicijs teneatur, repe-
rire aliquando poſsim. Te uerò, O
chori huius princeps, ita eadem affe-
ctantem uideo, ut niſi utrique idem
eſſet ſcopus, amicitia ſcilicet, tibi cer-
tè non minus quàm riuali inuiderem.
Quando qui formoſæ alicuius mulie-
ris amore flagrant, ſanguine ſolent
ac cæde contentionem ſuam dirime-
re: qui honorum cupiditatibus accenſi
ſunt nũquam quibus conflictantur cõ
tentionibus, finem imponũt: quid exe
crandas ac deteſtabiles diuitias comme
morare pergam? quàm magna illæ prę
lia excitant? Soli profectò amicitiæ ſtu
dioſi, de ea, ut de cõmuni bono non cõ
tendũt aut decertãt, ſed alter in altero
amores ac delicias ſuas inueniens labo
rũ ſuorũ fructum percipit ac uolupta-

tem. Felix ille ſanè & beatus, qui priuatus cum ſit huiuſce boni compos fieri potuit: Is uerò longè beatior, qui plurimis urbibus, & immenſæ alicui regioni preeſt: cui enim multa opus eſt uidere & audire, multa eodem tempore curare ac moderari, huic certè paucę ſunt aures duæ, oculi duo, corpus unum, & unà perpetuo inhærens anima. Quòd ſi is amicorum copia abundet, ſæpiſsimè uidebit ea quę propinqua nõ ſunt, audiet, longinqua & remota uatũ more proſpiciet, eodémque temporis momento pluribus, Deo certè ſimilis uidebitur intereſſe. Qua igitur uia ac ratione tale ac tantum bonum poterimus inuenire? inuentum perſequi? eóque tandem poſt longos labores potiri? An non ſolertes uenatores imitari nos decet? eius quam quærimus prædæ ueſtigia in primis cognoſcentes? indicia præterea notas ac ſigna & accuratius ſcrutantes, & in unum diligentia adhibita colligentes? atque id ut eam

tutò

tutò aliquando aſſequi poſsimus: nec idem nobis accidat, quod imperitis uenatoribus, qui feras perſequentes prædæ illius quam expetebant loco in præruptum aliquem locum deferuntur. In noſtra enim hac, quam nunc inſtituimus uenationem, multa ac uaria ferarum genera, felicem ac fortunatã amicitiam imitantur: maximè uerò omniũ inſidioſiſsima illa ac immanis beſtia quæ à noſtræ tempeſtatis hominibus ſimulatio dicitur. Ea porrò ueræ amicitiæ tam callida eſt imitatrix, ut ueſtigijs decepti, incauti ſæpe in eius latibulum delabamur. Neque uerò ſolùm cũ ueris amicis uerſari & ingredi uult, uerùm etiam illorum uocem & ſermonem, præſtigijs tamen quibuſdam ad fallendum compoſitum imitatur. Omnino autem bonorum omnium quibus homines fruuntur, nullum eſt perfectũ, quin ſingula periculo aliquo uideas inuoluta: neq; ullum prorſus contrarij mali expers facilè eſt reperire. &

propterea rectè mihi ſenſiſſe uiſus eſt facetus ille poeta.

In uita nullum naſcitur bonum, uelut
Ex una quæ radice arbor proficiſcitur,
Aliquod enim malum ſemper adnectitur bono.

Hoc igitur multos miſerè perdit, cum non facilè bona à prauis & deterioribus poſsint diſcernere. Ego igitur & uos Homerica illa Minerua indigemus, quæ denſam caliginem ab oculis noſtris abigat, ut apertius cognoſcamus, non Deum aliquem & uirum in prelio, ſed amicitiam, & ueram ab adulterina melius diſcernamus. Nunc itaq; dicendum eſt nobis, quot & cuiuſmodi illa ſint indicia, quæ debent ei eſſe perſpecta, qui ſibi amicum aliquem uelit adiũgere. Ita enim ſapienter ſcriptũ eſt, manum quoque cum Minerua mouendam eſſe. Ac primum quidem quẽ experiri uolumus an dignus ſit qui à nobis ametur, animum habeat ita conſtitutum, ut ad ſuſcipiendam erga omnes beneuolentiam facilis ſit, potiſsimum

mũ uerò erga neceſſarios ſuos ac familiares, habeátque à natura iniectum ſibi hunc ſtimulum, tanquam conglutinationis cauſam. Siquis autem in ipſo ſtatim initio nugari me dicat, cum ea ſine experimento cognoſci iubeam, quę ſolo experimento diſci, atque intelligi poſſunt: is ſciat nulla hîc opus eſſe diuinatione quemadmodum enim poetæ dicunt.

Non nos dura ſilex genuit, non horrida quercus,

Sed noſtrûm unicuiq; adſunt parẽtes, fratres, fortaſsis etiam propinqui. Cũ igitur ſcire uolueris qualis ſit erga te futurus iſte, de quo diligendo laboras, primùm uelim inſpicias qualem ſe geſſit erga parentes, aut fratres, & quo modo ſuam nunc uxorem tractet: quòd ſi ſe erga iſtos mitem, humanum, beneuolum ac tractabilẽ præbuerit, tibi lõgè cumulatiora officia eũ prǽſtiturũ debes exiſtimare. Sin autem moroſus & infenſus ijs fuerit, ab eo tibi longius recedendũ: nã qui domeſticos ſuos malè

tractat, eundem fore in alios eſt uerisi-mile. Deinde illud ſpectandum, quã grato animo & beneficiorum memore præditus ſit. Nam ut agrorum alij quidẽ ſteriles & parum fœcundi, alij agricolam à quo ſemina in terram immiſſa ſunt, præclarè remunerantur: ſic animorum alij quidem prorſus beneficij immemores atque ad amicitiam ſunt inutiles. In alijs rurſus alacritas quædã ad referendam gratiam perpetuò efflo reſcit. Neque uerò ab amico aliquid eſt repetendum. Sola tibi eius mens atq; animus expẽdendus, & num ea, quæ poteſt reddat: poteſt autem ſaltem & teipſum laudare, & beneficij memoriã conſeruare. Nihil enim magis amicitiam coniungit grato animo, eademq; ingratus omnium maxima diſſoluit. Propterea perſica lege ingrati plectuntur, quod ij ad excitanda odia pręcipuè facti, & nati uideantur. Vbi autem lex nulla grauius aliquid minatur, illic ſe inuicem odio perſequuntur, neque in iudicio

iudicio de re ipſa contendunt, ſed inteſtinum illud odium occultant. præterea & illud conſiderandum eſt, quo modo ad labores ac uoluptates amicus ille quē uenamur, paratus ſit: multarum enim uoluptatum iucunditatē, ſubeundis amicorum cauſa certaminibus careamus, neceſſe ceſt. Quid enim eſt, quòd tantopere Strophiadæ amicitia celebratur: an non quòd uarias calamitates cum Oreſte maluit ſuſtinere, quàm domi ſumma pace frui & feliciſsimè regnare? Illud quoque uidendum eſt, inuidus ne an ipſa inuidia ſit ſuperior. Neq; enim unquam fieri poterit, ut is ſyncerè amicum diligat, qui deliteſcentem hunc morbum intus alat & foueat: quo fit ut cum propinquis & affinibus noſtris perpetuò contendamus: eos uerò, qui nulla nobis cognatione ac neceſsitudine coniuncti ſūt, acerbiore odio proſequamur. ſed ne illnd quidem prætermittē dum cenſeo, cum alicuius ingenium

perſcrutari uolueris, aptum ne ſit ad amicitiam, an minus, ut ſcilicet animaduertas, num illiberalis ſit, ne id fortè te lateat. Sordes enim & turpis parſimonia maximè contraria eſt illi animo, qui ueram amicitiam expetendam ducit. Videmus enim eos, qui quòd reuera non ſunt amici, uocari tamen, ac haberi uolunt, cum antea quidem dextras ſibi inuicem implicarent, unà incederent & unà uiuerent, nihilominus oblato interim perexiguo aliquo lucro à fortuna, in ſeſe, canũ more, irruẽtes, & de communi præda digladiantes, ſe & mordent & dilaniant. Is igitur ex omnibus potiſsimum deligendus, qui mitis & gratus ſit: idémque nec pecuniæ cupiditate exardeſcat, neque inuidia tabeſcat. Eum uerò qui honorũ & gloriæ fuerit ſtudioſus & primas tenere ſtudeat, tanquam ad communem hominum ſocietatem & conſuetudinem minus bene aptum aut idoneum prorſus reijciendum puto. Quis enim

nim non uidet illam, quæ ab amicitia proficiſcitur æquabilitatem, ab ambitione ipſa penitus ſeiunctam eſſe? quare ne arrogantem & omnium contemptorem cum eo coniungemus, qui æqualitate hac delectetur, multóque minus eum qui uehementiùs excandeſcat, aut ad iracundiã quàm facillimè feratur. Quomodo enim ad familiarem conſuetudinem idoneus fuerit inſanus ac furens? Ego enim iracundiam breuem inſaniam eſſe ſemper ſum arbitratus. Illud quoque deinceps ſpectandum erit, an ad unum aliquod ex ijs quæ non omnino inter bona numerantur, animum ſuum cõuerterit, ut ſcilicet uel teſſeris, uel Theſſalica arte, uel tibiarum cantu & cytharæ ſono impẽſius oblectetur. qui enim huiuſmodi rerũ nimia cupiditate eſt affectus, huius ſanè amicitia ad melioraperficienda infirma ſit neceſſe eſt, cũ quaſi torrens ad proniora & faciliora ſeſe cõuerterit. Hic tu fortaſſe dicas, difficile

eſſe, tam præſtantem & omnibus numeris abſolutum hominem reperire, rectè ſanè, quando facilius aurũ quàm uirtus parari ſolet: benéque ac præclarè cum eo agitur, cui unum ſaltem cuiuſmodi ego effingo, deligere aliquando liceat. Qui igitur peritè ac ſcienter, amicorum delectum habuerit, is nec multorum, nec infinitorum amicorũ copiam habebit. Qui enim paucis non contentus fuerit, fieri non poteſt, ut is pluribus rectè utatur. Videmus enim ex multis hominibus, neque eoſdem ijsdem rebus oblectari, neque triſtari: quin ne eadem quidem aut ſimili eſſe fortuna animaduertimus. ſed huic hoc illi aliud quidpiam iucundum eſt aut moleſtũ, & huic fauet, illi aduerſatur fortuna. Nobis igitur nunc ille reſpondeat, qui amicorum multitudinẽ paucitati præferendam putat: cũ è magna illa amicorum turba, aliqua re hi quidẽ delectentur, illi autem doleant, is qui omnibus pariter amicus fuerit, utriſ
nam

nam magis fauebit, his ne an illis: & cũ alteri ſecum condolere, alteri geſtire & epulari eum uelint, ad utros libentius accedet, an non eorum quos negliget, odium in ſe cõcitabit, ita ſanè, ut quod de ſpolijs Homerus tradidit, lõgè melius atque aptius de amicis dici poſsit, prudentibus ſcilicet ac moderatis uiris, quod paucum eſt, id eſſe chariſsimum, Sed quoniam quæ pulchra ſunt uidemus eſſe difficilia: & neq; nos, neque illos quos diligere uolumus, prorſus culpa uacare: in habendo delectu nequaquam ſinguli reijciẽdi, quorum ſcilicet animus parua aliqua labe infectus ſit ac maculatus. Sed illud tantùm quærendum eſt, num nos eodem uitij genere laboremus. Virtus enim ſibi ipſi conſentit, uitium uerò nec ſecum nec cum uirtute poteſt cõuenire. Quo fit ut iracundus cum iracundo amicitiam inire non poſsit, nec ignauus cum ignauo, nec pertinax cũ pertinaci, hæc autem commiſta, ſeipſa quàm facilli-

mè ferunt & moderantur. Qua ratione iniurioſus cū ſtupido, glorioſus cū humili & abiecto, attonitus cum ſuperbo, ſegnior cū alacriore aptiſsimè coniungetur. Qui præterea profuſis ſumptibus delectatur, is omnino parcum ferre poterit: qui uerò obſcurā uitam amat, cum ambitioſo & glorię cupido commodiſsimè uerſari eſt conſentaneum. Porrò tales fuerunt amicitiæ illæ omnes quæ antiquitatis monumentis celebratę adhuc memorabiles ſunt atq; illuſtres, quando ſtabili & indiſſolubili uinculo coniunctæ ſunt. Adhuc enim Chabriæ & Iphicratis amicitiam extollunt, quorum alter celer quidem & in rebus gerendis ſtrenuus admodū fuit: Chabrias uerò ignauus erat, atq; ita cùm fręno ille, hic ſtimulo indigeret, animos habuerūt præclarè ſibi conſentientes. Homerus aūt non in bello tantùm, uerumetiā in pace & amicitia deſcribēda artifex optimus, Achilli Patroclū adiungit, arrogantē ſcilicet leni-

&

& benigno: Stenelo uerò Diomedem, quorũ alter iniurias obliuiſci, alter didicerat ulciſci. Sed quánam ſuæ poeſis parte utriuſq; ingenium exprimit atque effingit, ibi ſcilicet ubi Græcorum regem facit exercitum ſuum cõponentem, poſt Zeliti ſagittarij certamen: uterq; enim à rege per iram contumelia eſt affectus, quam tamen alter ferre nõ poteſt, alter ſedato animo cõquieſcit. Hæc igitur aliaq; huiuſmodi cõſideranda ſibi proponet is, qui deligendorũ amicorum ſcientiam ſibi uoluerit uendicare, & quæ ad rem faciunt tanquã ſalu berrima prçcepta ſibi probanda eſſe exiſtimabit, alia uerò tanquam inutilia prorſus reijcienda ac repudianda. Verùm qua ratione uenari hos & capere poſſimus dicendum eſt, neq; enim ubi eos inuenerimus dimittẽdi à nobis ſũt, uerũ ipſi maiore ſtudio & diligẽtia circum ſepiẽdi, quàm arbuſta uenatores ſolẽt: domeſtica enim eſt fera, minimé que agreſtis, noſtraq; hac contentione

non tenuis præda, ſed totius uitæ ſocietas quæritur. Quæ igitur retia tendemus, aut quali eos eſca alliciemus? quæ tamen guſtanti nihil noceat, neque fictam aut doloſam uoluptatem contineat, ſed ſine ullo detrimẽto inhæreat, & quaſi prę ſtigijs quibuſdam non inutilibus ad ſe allectet atque inuitet. Feras enim ac piſces alijs quibuſdam illecebris piſcatores capiũt, & uenatores: unum hoc animal, amicus ſcilicet, nulla eſca, ſed ipſomet uenatore illaqueatur. propterea bonum uirum & honeſtum eſſe eum oportet, quo deguſtato & præda inhæreat, & inde non facilè diſiungi aut auelli poſsit. ita enim fiet ut quod appetimus ſponte nobis obueniat. Nam qui accedens bono illo uiro gaudet ac delectatur, hic eſt ille quẽ iam pridem quærebamus. Qui uerò aut uirtutem non admiratur, aut ab ea recedit, ille quidem tanquam ſenſu carens fugiendus, hunc tanquam improbum odiſſe debemus. Sed iam qui pro
prij

prij & præcipui ſint hami, quibus in hac uenatione uti poſsimus, exponendum deinceps à nobis eſt atque explicandum. Primum igitur paulatim ad eum accedendum, id quod fieri uidemus ab ijs qui equinos pullos manſue faciunt, atque hîc à leuibus & uulgaribus, ut fortaſſe aliqui arbitrabuntur exordiemur.

Primùm enim amicè debemus eum intueri, humaniter alloqui, iuxta ſedere, & ſimul ambulare, & aliquo indicio ei oſtendere nos eius aſpectu potiſſimum delectari. Frequentabimus etiã illum locũ in foro, in quo cũ eo quàm ſæpiſsime eſſe poſsimus: itidem faciemus in cõuiuijs & balneis, itémque in ſpectaculis, in exercitu, in itinere, & ubicunque eius cõſuetudine frui nobis licuerit. Quæ omnia etſi magna non ſunt, ſemper tamen ex minimis profecta eſſe maximarum rerum initia uidemus. quod niſi me putarem uobis ludibrio fore, tanquam eum qui leuiora cõ

ſectetur, commemorarem uiliorē quādam aucupij rationem, ea ſcilicet quæ paulò antè à nobis tradita eſt. Nam ſi dixero dextram dextræ inijciendam, & manum eius quem uenamur comprimendam ac digitos ſtringēdos, ita enim ſtimulum quendam futuræ amicitię inijci, deridebunt nos, opinor, omnes, tanquam minima quæq; conſectantes. Ego autem uideo & patres in cōplectendis liberis, amoris magnitudine ac ui, ad id aliquando rapi, ut eos uerberent & mordeant. Hæc enim omnia uidentur eſſe indicia animi toto conatu cupientis, cum eius quem impenſè amat animo copulari: id quod tamen dum aggreditur, cum animus animo perſeipſum iungi non poſsit, corpori occurrit ac impeditur, quo medio utebatur cum animæ amplexum ſectaretur. Firmiſsimum uerò ad irretiēdos amicos, qui laudem eſſe cenſeret, longè quidem mea ſententia erraret: quando eam adulatores ualde ſuſpectam

ctam reddiderunt: quemadmodum etiam oleum unguentarij: uicinarum enim ac affinium rerum conuinctione, hi oleum, illi uerò laudem corrũpunt. Quare laude non ſecus ac uino, parcè, ſobriéque utendum eſt: neque illic continentiæ, neque hîc ueritatis limites trãſgrediendi. Minimè uerò amici pręſentes in os laudandi, unum enim hoc pharmacum acutius penetrat hærétque tenacius, cum ei quem curamus, non admouetur: tunc enim tanquam ſuſpectum & fallax reijcere atque odiſſe homines ſolent. Nihil igitur inter ſagittarios ac laudatores intereſſe arbitramur: illorum enim etiam ſagittæ uehementius feriunt, ſi eminus, quàm ſi cominus iaciantur. Sed neque illi uni quem uenamur, machinæ ſunt admouendæ: uerùm ijs etiam, qui prius conciliati, aditum hunc nobis efficient faciliorem. Id autem nullo negocio conſequemur, ſi de illorum liberis, fratribus & parentibus

bene mereamur, & humaniter eos amplexemur. Nã ſi (ut eſt in prouerbio) beneuolis canes etiam adulantur, quãtò magis beneficijs affecti homines, mites ac manſueti erga de ſe benemeritos efficientur. Magnum profectò certamen, neque enim præda loco propoſita nobis eſt lepus, non aper, non ceruus, ſed animalium omnium mitiſsimum ac manſuetiſsimũ, in quo capiendo agiles uenatores imitari decet: quẽadmodũ enim illi palumbibus ac turturibus manſuefactis ſui generis aues ad ſe pelliciunt, atque ita ut ad uiſcum & laqueos ſponte ſua ferantur: eadem ratione oportet, eorum qui prius capti à nobis fuerint amicorum miniſterio utentes, illos uenari, quos nondum nobis potuimus conciliare. Quis enim neſcit ſæpe uſuuenire, ut domeſticę columbæ, peregrinas ad ſe alliciant atque inuitent? ita prorſus. Deinceps uerò qua ratione retinendi ſint amici illi, quos dictis iam rationibus comparauimus:

mus, nobis explicandum eſt. Quid e-
nim afferret utilitatis præda, ſi tandem
adeptam amiſerimus, optima autẽ in-
ter ipſa ſtatim initia eius conſeruandæ
ratio illa fuerit, ſi ſcopum nobis propo
namus, ad quem intuentes, id quod ex
petimus facilè cõſequamur. Hic autem
eſt communis utilitas, qui idẽ & unus
finis priuatis domibus, urbibus, & reli
quis ſocietatibus propoſitus eſt: horũ
enim nihil ſeruari unquam poſſet, niſi
omnium quę in communi ſocietate tra
ctantur, ſinguli participes facti, ad unũ
hoc caput omnia referant, & in unum
hoc reſpiciant. omnia certè ſi diligẽter
curẽtur, meliora fiunt ac utiliora, cùm
ipſa ſibiipſis tum etiam dominis & poſ
ſeſſoribus, melior ac præſtantior eſt e-
quus, melior bos, melior canis, ſi illum
equorum domitor, iſtũ agricola, hunc
uerò uenator excolendum curet: ne-
gligentia uerò non equum tantam &
canem, uerumetiam ſcutum, Lyram,
& falcem corrumpit. Eadem ratione

ſtudium ac diligentia, meliorem facit amicitiam, ignauia uerò languidam ac debilem reddit. Neque enim uelim exiſtimes ad domum rectè adminiſtrandam neceſſariam eſſe aſsiduam curam, ne ſcilicet celerrimè corruat: ad amicos autem quos tibi iam comparaueris, conſeruandos, nullum ſtudium eſſe adhibendum. Et certè cum domunculam, ſi qua ex parte aut ingruente hyeme, aut uentorum impetu, aut uehementi pluuia labefactetur, minimè negligendam cenſes, minimè committendum eſt, ut amicum aut animi dolore, aut corporis morbo, aut grauiori aliqua calamitate oppreſſum temerè neglexiſſe uidearis. Quòd ſi domus tuæ paries collabatur, nullum aliud tibi damnum, præter eius ruinam importabit: quemadmodum neque aliorum inſtrumentorum aut rerum ulla grauiore te detrimento afficiet, ſi incultam patiaris, amicitia uerò neglecta, non tantùm interit, ſed in ſimultatem
muta

mutatur: quæ ſimul ac exorta fuerit, multas hominibus clades & incommoda afferre ſolet. Bellum ne tu igitur poſt hac geres cum uiro tam bono & honeſto, qualem paulò antè amicum tibi adiunxiſti? minimè opinor. Quare omnis eſt tibi ignauia deponenda, & amici labores, uigiliæ, pericula, ſumptus, & infamiæ tibi ſunt communes exiſtimandæ. Neque eius uox quę te ad hanc ſocietatem uocet expectanda, ſed ultrò accurrendum, & ſubſidij tempus quadam animi diuinatione præuidendum: in eius quoque uitæ neceſsitatibus danda eſt opera, ut illius hominis, quò is maximè indiget, perſonam ſumamus: in morbis quidem medici, in iudicijs patroni, in omnibus negocijs conſultoris, & illius poſtremò, qui eius poſsit prudentiam cōfirmare. Sed cum in humana uita multa diſparia ſint ac diſsimilia neque omnino abſoluta illa ſimilitudo reperiri poſsit: nec uerò eam

dico quæ perſonarum eſt, neque enim de multiplici hac uarietate in præſentia ago: ſed illam quæ in extremis fortunæ bonis poſita eſt, ut diuitiarum & paupertatis, nobilitatis & ignobilitatis. Harum enim rerum ne illi quidẽ, qui ualde amici ſũt, pari modo participes eſſe poſſunt. Sæpéque fieri ſoleat ut qui in aliqua re alteri præſtat, inferiorem ſe contemnat, propterea ſi præſtãtiorem te reliquis amicis fortuna effecerit, ad te ſunt ij adducendi: quem enim poſt te relictum uides, haud facilè fieri poteſt ut tam amicis oculis eũ aſpicias ac ſi pari tecum paſſu ingrederetur. Quòd ſi tu illum ad ſimilem fortunam traxeris, poſtea autem aliqua neceſsita te retractus fuerit, frequenter ad illum uelim te conuertas, eandémque faciem ſerues: ſi enim te prope inſciẽte, irrepat arrogãtia, cum te ſublimem & inſignẽ reddiderit, omnia illa amicitiæ uincula quàm celerrimè diſſoluet. Vt enim altera trutinæ parte facta leuiore, iugum

inæquale ſit neceſſe eſt, ſic amicorum altero fortunatiore, amicitiam tolli uidemus. Tragicus porrò ille poeta laudandum & amicorum numero adſcribendum cenſet eum, qui etiam ſi obſcurus ſit probitate tamen clarus eſtatque inſignis. Quod ego dictum tanquam lepidum ac uenuſtum accipio: eos autē qui retinēdæ amicitiæ ſunt ſtudioſi monerem, atque hortarer, ut aſsiduè cum amicis eſſent, mutuámque conſuetudinem ad amicitiam perfectè uinciēdam multùm facere exiſtimarēt. Nam ſi in omnibus rebus plurimum poteſt exercitatio & ſtudium, eadem ratione in amicitia familiares & crebros congreſſus, uitæque ſocietatem, plurimū ualere arbitramur contentiones præterea omnes ab amicorum colloquijs eijciendæ: eáque tanquam odij ac inimicitiarum ſemina ſunt euitanda: neq; enim in certaminibus, ſed dulcibus congreſsibus conſtituta eſt amicitia. propterea ne in ijſdem quidem artibus, di-

ſciplinis aut inſtitutis excellere eos uel le decet, qui amicitiæ iura tueri, ac conſeruare uelint: eorumdem enim ſtudiorum ſimilitudo periculoſa eſt, cum ad eaſdem laudes deſideria ſenſim inflamet, mutuámq; certandi cupiditatem, paulatim ſoleat excitare. Quòd ſi te rhetorem cum Rhetore, aut medicum cũ medico, aut Grammaticum cum Grãmatico, fors ipſa coniunxerit, ne cum amico, ſed potius cum Heſiodo contendas: neque illum tanquam te inferiorẽ uituperes, ſed ipſum poetam, qui hac in re longè abſit à ueritate. Quòd ſi tu eo ſapienter ſis, maiorem tamẽ illi ſemper gloriam concedes, & ſecundis honoris partibus contentus eris, & ſi primas iure quodammodo tuo poſſes tibi uendicare. Tales ſi ſe amici præſtiterint carmina illa minimè admirabimur. ſed ipſum potius carminum autorem ita alloquemur, ô admirabilis, ac nullo præceptore uſus, poeta inſigns, nõ artium ſimilitudo odium parit, aut con-

contentionem, ſed hominum mores: nam ſi moderati ac faciles fuerint, ars quoque eos moderatè incitabit: quòd ſi ſinguli ſuis quidem in artibus excelluerint, perditis autem moribus fuerint difficilis omnino inter illos futura eſt ſocietas. Quandoquidem uerò nũquam in uita errare ac labi homini nõ eſt datum, (neque enim ego hijs qui in Poecilæ porticu philoſophati ſunt Stoici, fidem habendam puto, fuiſſe ali quando homines, quales illi certè effingunt, ſapientes & probos, ut iã nõ homines ſed dij quidam uiderẽtur. uerius enim mihi ſemper eſt iudicatũ Epigrãma illud, quod Athenis, in publico illo ſepulchro eſt inſcriptum: nam ſolos Deos rectè omnia agere, neq; unquam errare oſtẽdit) dicendum etiam nobis eſt de hijs qui in amicitia contingere ſolent erroribus ac peccatis, & qua ratione illa uitare, aut ſaltẽ ijs mederi poſsimus. Neq; enĩ amicus ſimilis eſt adulatori, quin eos multum inter ſe diſtare

certum eſt: atque ob hanc in primis cauſam quòd hic omnia laudet, ille uerò in amici erratis conniuere non poſsit. Hic enim aſſentandi munere, lucrum, ac uentris expletionem quærit: neque te ſed opes ac potentiam tuam admiratur. parum enim is laborat, aut curat quomodo te habeas, potius uerò ut malè te habeas: atq; id, ut ipſe quod uult, facillimè conſequatur. Amicus autem te ſolum non tua reſpicit, & cõtemplatur: tuíque ſolius, non rerum tuarum amore afficitur: téque omni prorſus labe ac uitio uellet carere. ſenſim igitur ab amicis morbi, & uitia ſunt tollẽda, ita tamen ut eorum animi nõ nimis doleant: neque tamen plus æquo illis eſt indulgendum: atque id more Medicorum qui ferro ſæpe abſtinentes mitia quædam pharmaca admouent & ſine ullo dolore morbos curant: eadem tibi ratione amicorum uitia ſunt curanda. neque enim quibus ad curandum uti poſsis pharmacis, ea tibi deerunt, omiſſa

ommiſſa illa ſecādi atq; urendi, in qua ineſt quædam acerbitas, ratione. Sunt autem medicamenta, ſermones liberta te, ac beneuolentia pleni, non dulces il li quidem aut ad gratiam facti, atq; cō poſiti: hi enim morbum irrigant, & a lunt: uerùm acres, ueri & liberi, quiq; à conuitio diſtent (nam inter admoni tionem, & conuitium, increpationem, & contumeliam, intereſt plurimum) neq; id ſolo dicentis animo, ſed ipſa e tiam amoris plena ac libera oratione commonefacientes, non durius obiur gantes, corrigentes, non probro affi cientes. Sermones itaq; mordaces, mi nimeq; temperati ab amicitia reijcien di: manſuetudinis autem ac beneuolen tiæ aliquid, ut amaræ, utili tamen po tioni mel eſt admiſcendum: ita enim temperata potio, cum non iniucunda ſit, & libentiſsimè ſumitur, & non ſinit medicum ab ægro excludi. Ego certè medicum illum ſemper imperitum e xiſtimaui, qui eiuſmodi medicamenta

ad curandos morbos parat, quę ipſam morbi uim magis irritare quàm tollere ualeant. Neque uerò illum laudandum cenſeo, qui in omnibus ægrotis gratificari uelit, cibi & potus ea genera concedens, quæ cum aduerſam poſſint ualetudinem augere, tum morbũ etiam ex uno multiplicem facere, hic enim non iam medicus, aut morbi depulſor, ſed miniſter poculorũ aut mẽſæ inſtructor factus eſt. Illud igitur nimium in amicitia quoque declinandum: hæc enim utraque, aliò te abducent, quàm quò cõtendis. Nimia enim ſanè indulgentia ad aſſentationem perducit: nimiæ uerò auſteritatis finis eſt ſimultas. calumnia ſemper quidem moleſta eſt, & periculoſa, belláque & ſeditiones ubi irrepſerit, excitat, patrémq; in filium, & fratrem in fratrem cogit ſæuire: indéque celeberrimę tragœdiæ Hippolytus argumentum dedit, eſtq; hoc illius ingenium, ut utroſque offendat, & illum cui inſidieris, &

eum

eum quem decipias: illum quidem quòd præter dignitatem calumniam ſentit: hunc quòd moleſtia afficit. Porrò hanc amicitiæ maximè inimicam natura conſtituit: neque eſt aliquid quod illi maiores inſidias ſtruat. Ea enim cùm amicum feliciter ac proſperè agentem animaduertit, paulatim eſſe inſinuans, imbecilliorem, miniméque munitam partem explorat, & ſuffodit. Ea igitur facilè repelli à nobis poterit ac deturbari, ſi nullam illi fidem habendam duxerimus: in auribus noſtris firmiſsimum aduerſus illam uallum erigentes, ita, ut illius inſidias procul arceamus, eámque tum maximè cum ad nos accedit reijciamus. Quòd ſi clam ingreſſa fuerit, ne ſuſceptam illam intus detineas, aut occultes, ſed in apertum deducas: ſtatim enim æſtuantem illam ac uertigine laborantem, uociferari, & inconditas uoces emittere ſenties: atq; id quòd inopem ſe conſilij factã animaduertet,

Quòd ſi ſemel à te reiecta fuerit, nullũ tibi amplius ab ea periculum: quæ certè ne tentabit quidem, aut ad te propius accedet. Qui uerò inſipientes ac ſtulti eam admiſerunt, libenterq́; feræ illi fores aperuerunt, amicitiæ ac beneuolentiæ commodis frui nolunt: ab ea enim fit, ut mentis ac rationis uſu ſpoliati è poteſtate exiſſe, nihilq́; ab inſanientibus differre uideantur. Contemplare quæſo, quàm omnes illorum cùm actiones tum affectus furentibus ſimiles ſint: eos enim quos minimè conueniebat, metuunt, & ſuſpectos habent, eorum more qui aquam fugiunt: aut qualis in Tragœdijs inducitur ex atra bili inſaniens Oreſtes aduerſus ſororem ſibi miniſtrãtem uociferari. Omnium uerò illud maximè miſerabile, quòd in amiciſsimos armantur, libentiſsiméq; eos ſi poſſent, funditus delerent: quod ſanè rabidi eſt & æquè ac Oreſtes inſani: alteriúſq; Tragœdiæ idoneum fieret argumentum. ſed enim Aeſopi fabula-

bulatoris utiliſsima cùm aliàs ſemper eſt mentio, tum uerò maximè ea, quæcunq; ad calumniam pertinentia bene atque egregiæ ſcripta poſteritati reliquit. Ille calumniam ſemper uulpi do loſæ feræ ac fraudulentæ, & homini ini micisſimæ tribuit: animalium uerò ferociſsima ab ea capi ſcribit. Ego uerò quæ mihi præſenti negocio accommo datiſsima occurrit nunc fabula, libentiſsime commemorarem, ſi me iam ora torum ſimilem æquo animo uelitis au dire. Tauros duos armentum unum ſe quebatur, atq; hi quammaximè amici, unà ad pabulum prodibant: leo autem tam arctam illorum coniunctionem ti mebat, nec eos, aut armentum aggre di audebat. Semel igitur fame uictus uulpem ſibi conueniendam, & cum ea fœdus ineundum cenſuit: hæc autem tãta erat calliditate, & ſagacitate prædita, ut adhibitis machinis alterũ alteri inimicum reddiderit, ac ueluti furore quodam perciti eſſent, in ſe inuicem ſæ

uitiam exercere coegerit. Atque ita leoni utroſque à ſeipſis diſiunctos, honorificam ſcilicet ac facilem prædam tradiderit. Talem igitur ſeſe Aeſopi uulpes præbuit. Sunt autem inter homines etiã uulpes quędã, uel potius homũculi illiberales, uulpes à tergo, nec uulpes ſolũ, uerũ etiã ipſorum quidã ſubrepentes dracones atroci & graui ueneno plenos, beneuolentiæ tamẽ ac humanitatis uelo tectos, ſecũ trahẽtes quos reijcere atq; abigere procul cõuenit: delectamur enim ſæpenumero ſi morſi ſimus, & gaudemus, extremam tantũ linguã, interiorẽ autẽ minimè intuentes. Cui uerò hi ſimiles eſſe mihi uideantur, ſimilitudine quadam ſi uultis, uobis demonſtrabo. Vidi certè multis in locis Scyllæ ſimulachrum, non qualem Homerus effingit: nihil enim aliud de eius forma Homerus dicit, quàm quòd fera fuit in ſpelũca quadam habitans ac deliteſcens, capita ſex habens ac duodecim manus. Pictores autem

autē fictoreśq; latius & acutius eius for-
mā exprimūt, illā enim à capite uſq; ad
lūbos uirginē eſſe uolunt, ab ilibus ue
rò ſtatim eius formā in canes mutari a-
troces illos quidē atque horribiles, cui
dētes ſint triplici ſeriæ diſtincti, capita
uerò attolluntur, tot prædas quot ipſa
ſunt inquirentia. Ego igitur quidnā fa-
bula hac Homerus uoluerit ſignificare
mihi uideor diuinare. Vlyſsi ſcilicet ſa
pienti ac prudenti uiro uniuerſam e-
ius formam penitus notam, & perſpe
ctam fuiſſe, neq; illum ſuperiores feræ
partes præſtigijs ſuis decipere, aut fal-
lere potuiſſe, uerū inſtructū atq; arma-
tū ad ineundū, ſi ita opus eſſet, præliū
fuiſſe: eos uerò qui incauti ſunt, facilè cō
pręhēdi. Siquis aūt aliter ſēſiſſe Home
rū arbitratur, atq; is tātum ſpeciē huius
fabulæ admiratur, hic profectò ſi quā-
do in Scyllā inciderit, humanā quidem
partē, canes aūt minimè intueri poſ-
ſet. qua igit ratione calliditatē beneuo
lentiæ uelo obductā uitare, uerā autē

amicitiæ faciem dignoſcere, & à ſimulata diſcernere poterimus, uultis (ne lõgiore uobis oratione moleſtior ſim) ut indicia aliquot ac ſigna ad uos inſtruendos idonea rurſum commemorem, & fabulam aliquam orationi attexam, ut poſtea, quæ in ea digna ſunt, uobis relinquam conſiderandam. Prodicus philoſophus tradit, Herculi, cũ iam ex ephebis exceſsiſſet, ſedénſque quieſceret, ſecum cogitans quid nam agendum in uita, quáque ſemita ingreſſus præclarè ſibi ipſi conſuleret, fœminas duas apparuiſſe, quarum alteram ille uirtutem, alteram uerò uitium appellat. Cum igitur utraque ſuorum bonorum magnitudinem, & copiam prędicaſſet, & tandem Hercules ad uirtutis ductum ſe applicuiſſet: eum illa arreptum manu, accede inquit, ut clarius & apertius uideas quàm rectè ſenſeris. Hunc uerò ex amplo, & patenti campo in locum alium ducit, ac ſublimem, ubi duo quidem erãt uertices, qui procul

cul intuentibus, uno eodémq; fine terminari uidebantur. Cum autem Herculem uirtus propius adducens, quantum ij uertices inter ſe diſtarent, oſtendiſſet, uertex quidē ille inquit, ad dextram poſitus, ſacer amicitiæ locus appellatur, quæ mihi chariſsima eſt & ſoror & comes: alter uerò ille ſimulationis dicitur, Deæ certè cum uitio coniūctiſsimæ: propius igitur accede, exactéque loci utriuſque naturam contēplare, ne procul aſpiciens, unum & eūdem eſſe exiſtimes. Quo facto prudentiam adeſſe iuſsit, à qua ſingula illi exponi & demonſtrari poſſent. Illa autem imas collium partes ſimiles eſſe oſtendebat, floribus ijſdem & plantis ornatas: hac una re inter ſe differentes; quòd aliæ quidem plantæ perpetuam uiriditatem ſeruabant: aliæ uerò citò naſcebantur & areſcebant. Fluebant præterea ex ſingulis uerticibus frigidę, ac perlucidæ aquæ ſinguli riui, quorū alterius aquæ dulces erant, ac iucundę,

alterius ſiquis eas procul ab ipſo fonte ſumpſiſſet, dulces quidem, ac lenes: ad ipſum autem fontem accedenti amarę ac uenenatæ uidebantur, in conuulſionem ac uertiginem eos qui colore decepti illas bibebant inducentes. Ipſos etiam uertices prorſus diſsimiles eſſe oſtendebat: atq; eum qui ad dextram poſitus erat, umbroſo quidem nemore opacum & arboribus perpetuo uirentibus, ut cypariſſo, lauro, alijsq; fructuoſis plantis, quas dulces, ac lenes auræ ad illas potius alendas, augendáſque, quàm aut frangendas aut diuellendas aptiſsimè perflabant, maximè refertum demonſtrabat. Magna, omniq; tumultu uacua quies, lętitiáque locum illum tenebat: quo uiri, pauci certè, ingenti gaudio, ac uoluptate perfuſi, eodémque uultu accedentes, atq; inde recedentes cõſpexiſſes. In ſummo uertice ſedebat uirgo, non illa quidem fuco ac cincinnis pulchra, ſed uera, & antiqua forma inſignis, qualem ſcilicet ue-
teres

teres artifices in ſimulachris effingebãt: quæ & longo tempore indigẽt & perſpicacioribus etiam oculis, ſi hominũ in ſe uelint admirationem excitare: Cãdido quodam ornatu induta erat ueſtibus ſcilicet ſplẽdidis, & tenuibus: atq; ita, ut multæ corporis partes nudatæ conſpicerẽtur. Neque tamen eiuſdem animus oculorũ aciẽ ſubterfugiebat, aut minus quàm corpus erat conſpicuus, aſpectus enim erat ſimplex, & magnificus ac generoſus, riſus ſtabilis, miniméq; uarius. Quòd ſiquis ad eã admiratione correptus acceſsiſſet, non aurũ aut argentũ porrigebat, ſed ipſum meliorem, ac ter & quater maiorem dimittebat. Hercules eam admiratus, ſibiq; propiciam adeſſe precatus, prudentiam acceſsit, & quæ nam proximæ illæ eſſent mulieres illius Deæ ſociæ pulcherrimæ, honeſtiſsimæq;, ex ea quæſiuit: cui illa, quæ inquit, multa luce ac ſplendore inſignis ſedem tenet adamantinam Veritas eſt Iouis filia; quæ

uerò caput deflectens requieſcit, beneuolentia uocatur, cuius miniſterio ipſa Dea in omnibus rebus uti conſueuit. puerulus autem ille, qui maiorem quã ætati ſuæ conueniat grauitatem præ ſe fert, aurea uincula manibus geſtans, amor eſt amicitiæ miniſter, non tamen alis, neque ſagittis inſtructus, neque enim uolare deſiderat, & quorum ipſe eſt autor operum, eorum nullum eſt cruentum: ſed quos honeſtos, ac probos, ſibíque cõſentientes offendit, hos glutinat, & coniungit: cuius uincula firma ac ſolida ſunt, atque ita ut ea ſoluere, aut frangere nemo poſsit: quibus tantum abeſt, ut doleant ij qui uincti detinentur, ut illis potiſsimum & gaudere & geſtire uideantur. Sed age, huc inquit, concede, & alteram in quã pleriq; hominum incidunt, & incurrunt, cõtemplare: & primum quidem, quæ in ipſo ſtatim ueſtibulo, atque aditu conſpiciuntur: illis quemadmodum dixi quàmſimillima, quæ in alterius

Deę

Deæ colle uiſa iam fuerant, oſtende-
bat: deinde metam ipſam mõſtrabat,
preruptum ſcilicet ſaxum, & erectum,
cuius altiores partes denſa ac nigra nu
be cinctæ erant: præcipites autem loci
undiq; & conualles eam ambiebant:
humanorúmq; oſsiũ, & poſt hos etiã
uenenatorum animalium, ac uirus e-
mittentinm magni acerui conſpiciebã
tur. Vidiſſes etiam ſimulationem ue-
ræ amicitiæ quàm ſimillimam, & eius
partes ſibi uendicantem. Cuius tamen
facies pulchritudinis ueræ loco, fuco
erat oblita, & modeſti riſus loco, fictè
ac dolosè, neſcio quomodo hiabat: ut
autem amabilis uideretur, introeun-
tes omnes amare ſimulabat, ſed cũ ne-
mo ſponte ingrederetur, longè ipſa ex
currens, & quibus occurrebat obſe-
crans, atq; obteſtãs ſecum abducebat.
Aderat magna mulierum prioribus
illis minimè ſimilium turba, Fraus ſcili
cet, Inſidiæ, Dolus illiberalis & timi-
dus, Veritatis loco improbum Periu-

rium audax ac infidum, quòd omniũ maximè Deam ſuam adiuuans illi inſeruiebat. Hercules cum mulierẽ quandam in ueſtibulo propè claudicantem conſpicatus eſſet. Prudentiam, quæ nã illa eſſet interrogauit: Adulatio inquit præcurrens ſimulationem, Dea & ipſa quemadmodum uides, ingredientibus inſidiatur, inhæret, & mira quadã ratione, præſtigijs ſcilicet, ut nihil non audeant, licentérque agant, ſuadet. Illa uerò triſtis, quæque ſecum cogitat, & paucos ſeipſos cædentes, ac lacerantes, & ingemiſcentes deducens, quænam eſt? pœnitentia inquit, tarda quidem nec admodum tempeſtiua Dea: uides ut illos à ſerpentibus non penitus fugi patiatur, uerùm ſpirantes adhuc erigat, domúmque abductos, ibi miſeros & infelices ſeruet.

FINIS.

IN EIVSDEM ORAtionem quartam, quæ Sophiſta appellatur.

ARGVMENTVM.

HIERONIMO DONZELlino interprete.

SOphiſtæ nomen olim honorificum fuit, & à ſophia deductum, idem quod ſapientiæ ſtudioſus ſignificabat. Cum tamen progreſſu temporis illud idem philoſophiæ quod cæteris rebus atque artibus infortunium accidiſſet, ſcilicet ut res ſua natura præſtantiſsima hominum uitio corrumperetur: ignominioſum eſſe ſophiſtæ nomen cœpit. Huic autem corruptelæ Protagoras initium dedit, qui nulla ueritatis habita ratione, & de omnibus cœpit ambigere, & in utranque partem, de quacunq; propoſita quæſtione ex tempore diſputare ſe poſſe ſuperbè nimium profitebatur. Deinde Gorgias Leontinus, & Prodicus Chius ſummam philoſophiæ labem aſperſerunt, cum & uenalem illam habuerunt, & lucri tantùm cauſa ſe illam ſequi non obſcurè indicarent. Hinc itaq; factum eſt, ut malè audiret ſophiſtæ nomen. quàm grauis autem ea fuerit hominum peſtis: tũ ubiq; apud Platonem eſt obuium: tum maximè in Gorgia, ſophiſta & Protagora, ubi illorum inſcitiam, iactantiam ac auaritiam acerrimè traducit ac reprehẽdit. Themiſtius igitur fingit quendam uerè philoſophum ſuggeſtum aſcendiſſe, & co-

ram populo ab ea ſe ignominia tueri, quą quidam ſophiſtam appellantes illum afficiebant. Cum autem ſophiſtis duo potiſsimum propoſiti ſint fines: lucrum ſcilicet & gloria: ut ab eo ſe nomine alieniſsimum declaret, initiò, ea de cauſa populum ad concionem ſe minimè conuocaſſe dicit, ut plauſum & gloria aucupetur: ſed ut à maleuolis quibuſdam intentatum ſibi crimen depellat. Id uerò nullo ſuo merito factum eſſe, ſed ea tantùm inuidia, quam bona omnia ſuis poſſeſſoribus ſolent conciliare, & quò cæteris bonis philoſophia eſt præſtantior: eò etiam maiorem in ſe inuidiam excitare. cùm tamen bonis ac ſapientibus uiris communis hæc ſemper calamitas fuerit, ut improborum odia declinare non poſſent: Pythagoræ, Socratis, Platonis, Ariſtotelis ac Theophraſti exemplò, qui eadem tempeſtate fuerunt iactati, æquiori animo iniuriam hanc laturum ſe dicit. A ſophiſtæ quidem nomine, ſi propriè accipiatur ſe non abhorrere, à maleuolis tamen ignominiosè ſibi adſcribi: quod iniquiſsimum eſſe ex Platone docet. Sex enim ueri ſophiſtæ notas ex Platonis dialogo, qui Sophiſta inſcriptus eſt recenſet: quarum nullam meritò ſibi conuenire contendit. Quoniam autem Ariſtoteles quoq; ſophiſtam definit, quòd ſit χρηματιστὴς ἀπὸ φαινομένης σοφίας, ἀλλ' οὐκ οὔσης: in eo potiſsimum immoratur, ut ex ſuis auditoribus nullum ſe lucrum captare: ſed illis ſe potius ex ſuis facultatibus largiri probet. A gloria uerò uſque adeo ſe alienum fuiſſe dicit: ut cum magnis ſuis ſumptibus quædam in Ariſtotelem ſcripſerit commentaria: de illis tamen edendis nihil unquam cogitarit, quæ tamen præclara adeo fuerunt, ut cum eo & inſcio & inuito, in

aliorum

aliorum manus perueniſſent, & à magno quodam philoſopho fuerint probata: & magnam auditorum frequentiam ad ſe pertraxerint. Poſtremò, quoniam cuiuſuis artificis proprium eſt ſuam artem commendare, ut ſe non ſophiſtam, ſed uerè philoſophum eſſe oſtendat, in ſapientiæ laudem erumpit: eamq; magiſtram parentemq; doctrinarum omnino uocans, reliquis artibus dominari, illas dirigere ac moderari docet.

THEMISTII PHILOSOPHI SOPHISTA, Oratio quarta.

NOLO me putetis hodierno die, uiri optimi, ſuggeſtum hoc aſcendiſſe, quærendi plauſus, aut acclamationis ueſtræ cauſa, quibus me libentiſsimè ſemper ſoliti eſtis excipere, neque cupiditate adductum eorũ tumultuum, quos me dicente aliquando excitaſtis. Nam etſi à uobis ultrò profecta, & nonnullis precibus aut hortationi-

bus extorta laus uera, ac omni dolo uacua, præclara res ſemper, & meis auribus iucundiſsima uiſa eſt, ea tamen nõ tanti eſt apud me, ut debuerit me ad inferendam uobis oratione mea moleſtiam incitare. Acceſsi autem ad uos quotieſcunq; acceſsi, ut uos moneam, doceam, & ueſtrum erga principem amorem augeam, aut rerum à me geſtarum rationes referam, etiam ſi nihil eiuſmodi à me poſtuletis. Vos autẽ eo animo ergà me eſtis affecti, quòd eſt humanitatis ac boneuolentiæ ueſtræ proprium, ut frequenti hoc ueſtro cõſeſſu ſpectaculum mihi pulcherrimũ exhibeatis. Nolite igitur mirari quid ſit, quòd ego uos huc hodie conuocaui: ſcilicet ut aſsideatis iudices earum rerum, quas ego præter leges dicor patrare. Vos uerò conſuetudinem ueſtram ſeruabitis, & conſurgentes clamabitis, minimeq; recordabimini uos concionis habendæ cauſa huc non cõueniſſe, ſed ut ſuffragia, quorum eſtis

domini,

domini, feratis, & modeſtè, ſapiēterq́ue de tota re ſtatuatis: permiſſum eſt enim mille uiris ſententias ferre de uno, uictus ne iudicio pœnas luat, aut pecunia mulctetur. Sed illud primùm ne miremini: cur neq; ego ab altero accuſatus, neq; ipſe alterum accuſans, neq; in iudicium uocatus, neq; alterum uocās, uos tamē iudices delegerim, meq; ſpōte in hoc certaminis genus coniecerim. Quod enim abſurdum, aut mirum alicui uideri poſsit, id nulla mea, ſed accuſatorum meorum accidit culpa: qui ita callidi ac uerſuti ſunt, ut qui ſint propemodum neſciam, quādo clam iaculantes me feriunt eadem ratione, qua Platæenſes nocte ab obſidione recedētes, Pelopōneſij qui accenſis lampadibus inſequebantur feriebant. Et ſanè omnibus ex partibus magno impetu euolant ſagittæ multæ ac uariæ, neq; ex una pharetra emiſſæ. Iaculatores autem qui ſint, neſcio, nec laboro ut ſciam: quin etiam mecum præclarè agi puto,

quòd cum inimici ſint, ita tamen imbe cilli ſunt & ignaui; ut illorum nemo non modò animo meo non offecerit, ſed ne ipſam quidem corporis cutem attigerit, aut ipſa propugnacula perſtringere aut labefactare potuerit. Sed quo plura & firmiora tela iaciũt, eo duriora eſſe ac ſolidiora arma mea declarant: quæ certè non Vulcanus mihi fabricatus eſt in Olympo: ſed philoſophiæ largitores ac pręſides dij, qui quẽ ſaluum eſſe uolunt, non minus integrum ab omni iniuria ſeruant, quàm Cæneum: neq; improbi ac ſceleſti qui humanam quidem ſpeciem præ ſe ferunt, ferinæ tamen cuiuſdam naturæ participes ſunt, ac in mari uerſantur, quercubus & abietibus ferientes, quicquam proficiunt. Verùm integer manet animus, & immobilis, & cùm hominum temeritati non ſuccumbat, exultat ac gloriatur magisquàm ille, qui cum à ſe iniuriam propulſaſſet, lapidẽ pondere ſeptem talentorum humeris geſtabat.

geſtabat. Quoniã igitur ij, qui iacẽt, in apertum nolunt prodire, neque ſeſe uobis ſpectandos offerre, ſed in angulis, ac receſsibus deliteſcũt, & ego emiſſas uideo ſagittas, & pedibus meis minantes, unde tamẽ neſcio, age iam illas è terra ſublatas numerabo, & ſi potero dabo etiam operam pro uiribus ut perfringam: ut quàm molles ſint demonſtremus, inſpiciamq́ſ, ſi quæ ſunt ueneno delibutæ. fortaſſe autem, ſi crebrò eas tractemus, & inuertamus, inſcriptum iaculatoris nomen in extrema ſagitta reperiemus, quã ratione & Philippus Macedo cum Methonem obſideret, ſagittarij illius, qui è mœnibus ſagittas iaciebat, nomen deprehendit, Aſter autem uocabatur, atque erat hoc nomẽ in ipſa ſagitta inuſtum. Sed iam ex imagine abducenda nobis eſt oratio, ac uerius in ipſum certamen deſcendendum. Sed tamen prius utendũ mihi puto exordio, id quod initio orationum ſuarum ſolent oratores facere.

Erit autem eiuſmodi: quòd accuſatores atq; obtrectatores mei, criminibus uarijs me deformare contendunt, id neque nouum, neq; inuſitatum uideri debet, ſed illud idem quod iam. & in more poſitum eſt: & ex quo philoſophia deorum immortalium munere è cœlo nobis conceſſa apparuit in ipſa natura hæret, & ipſorum hominum mentes ita occupauit, ut ueluti quidam morbus ad eundem circulum reuoluatur. Nam reliqua quidem bona inuidiam ijs conciliant, quibus ea adſunt, minimeq; inſidijs uacuam uitam efficiunt: itemq; eorum odia, qui huiuſmodi bonorum participes non ſunt, etiã ſi nulla iniuria afficiantur. Neque enim pauper cum uoluptate, gloriãtem diuitijs aſpicit, neq; imbecillus fortem ac robuſtum, nec affluentem equis, is qui nullos poſsideat. Sapientia autem quanto maius ac præſtantius eſt bonum, tanto plures in eum excitat, qui aut ea præditus ſit, aut ſaltem præditus uideatur:

tur. id quod certius fiet ſi rem altius repetentes ab ipſo Pythagora initiũ ducamus, à quo hæc ueluti quædam neceſſaria hæreditas profecta, ad omnes poſteros uidetur perueuiſſe. Ipſe enim Mneſarchi filius adeo ſapientia dicitur excelluiſſe, ut propter inuidos ac turbulentos homines extorris ſemper in aliena uixerit regione. Nam ex Samo Crotonem propter Polycratem: Crotone ad Locrenſes propter Gylonem aufugit. Ex Locrenſibus autem nõ unus tantùm, ſed omnes in eum inſurrexerunt: quippe qui diutius tantam uiri uirtutem ferre non potuerunt. Quare Tarentum coegerũt eum aufugere. Tarentini uerò tanquam grauiorẽ aliquo onere ſeſe leuaturi, in Metapontum detruſerunt: ubi cum quadraginta ſe dies cibo abſtinuiſſet, in Muſarũ templo dicitur interijſſe. Quę uerò Socrates paſſus ſit, quid attinet commemorare? Melito enim Anyto, & Lycõne omnium hominum plenæ ſunt au-

res. An non cõſtanti fama celebratur Platonem in Siciliam ter parandæ pecuniæ, & uictus cauſa nauigaſſe? Cephiſodoros autem & Eubulidas, Timæos, Dicæarchos, & reliquã turbam eorum qui Ariſtotelem Stagiriten inuaſerunt; non facilè poſſem enumerare: quorum orationes adhuc extant, odio, & quadam contentionum cupiditate plenæ. Quare nihil eſſe uideo, cur ego moleſtè ferã, qui quandiu uixi, pro parte mea elaboraui, ut eſſem illorum quã ſimillimus, ſi minus ea mihi licuit effugere, quę ipſi principes ac magiſtri mei euitare non potuerunt. Neq; enim mirum eſt, ſi ipſe illorum ueſtigijs inſiſtens, in eoſdem ſcopulos incidam, & aculeatarum in me ipſum ueſparum examen irritem: neq; id tamen conſultò & ſtudioſè, ſed quia natura ita ſe res habet, qua tamen ego nõ nimis cõmo ueor, neque tamen committam, ut reliquarum rerum maiorem curã, quàm animi ſuſcepiſſe uidear. Non enim ſi

mer-

mercaturam facerem, pacatum ac tranquillum mare, ſecundos uentos, onuſtas auro naues ſemper mihi ipſi pollicerer: ſed tempeſtates, ſcopulos, & tempeſtate longè etiam grauiorē pertimeſcerem latronum incurſum: & interdū etiam de eijciendis in mare mercib. cogitarem. Ex hoc autem apertè cognoſci poteſt, ſummorum uirorum, quos modò nominaui, inſtituta me ſequi, nec ab eorum ueſtigijs admodum aberrare. Nam eæ calumniæ & contumelię quibus iſti me onerant, non diuerſæ ſunt ab ijs, quibus olim furioſi illi ſummos & admirabiles uiros affecerunt. Nam & primùm Socrates uocatus eſt Sophiſta, arrogans, & nouarū rerum ſtudioſus: poſtea Plato, Ariſtoteles, & Theophraſtus ijſdem conuitijs iactati ſunt. Hinc igitur mihi defenſionis initia ducenda ſunt. Illud itaque primùm quæro ex uobis, cenſeatis ne Sophiſtā me appellādum, idq; ex ipſo ſtudiorū genere: an nomen hoc ueritas ipſa loqu

gè reijciat à nobis, etiam ſi fortaſſe ita poſsim uocari. Nam Sophiſtæ nomē quàm olim graue ac magnificum fuerit, & quòd Solonem & Pythagoram ij, qui tunc erāt, Sophiſtam dicebant, perſpicuum eſt, ineptusq; ſim, ſi quod dico, Comicorum, & Hiſtoricorū auctoritate uelim cōprobare. Sed tamēn non hi me eadem ratione Sophiſtam uocant, neque enim honore, ſed ignominia afficere me uolūt. Verùm quan do nominis huius uis & proprietas diuerſa eſt ab ea quæ antea erat: id quod temporis diuturnitate ipſis quoq; nūmis uidemus euenire: quod tamen accidit ex quo primùm Protagoras de omnibus cœpit ambigere, & omnia in controuerſiam uocare. Itemq; Prodicus Chius, & Gorgias Leontinus, qui cùm ſapientiam profiterētur, uenalem eam exponebant, multumq; pecuniæ à diſcipulis exigebant. hinc profectò nomen hoc traxere ij, qui me nūc cauillantur. Conſiderate igitur, quàm dili-
genter

genter & iuſtè hac de re ſum acturus. Sunt apud uos leges, uel potius apud omnes homines, quarum imperio ac præſcripto legitimè uos omnia facere & ſuo unamquanque rem nomine appellare, neceſſe eſt. Quod ſi quid in cõtrouerſiam uocetur, earum præſidio adiuti, quamfacillimè litem omnem dirimitis. Philoſophis quoque ſuæ ſunt leges & eæ ſcriptæ quæ nos erudiunt & docent, qua ratione ad ea reſpondendum ſit, de quibus fuerimus interrogati: & alijs quidem aliæ ſunt, quas ab ipſis uniuſcuiuſque ſectæ principibus latas & ſequuntur, & profitentur. Nam Platonis ſtudioſus illius leges reſpicit, qui in Pœcile uerſatur, ad Zenonis Citienſis dogmata ſe accommodat. Qui uerò horto oblectatur, ab ijs legibus, quas Neoclis filius Epicurus tulit, ne trãſuerſum quidem unguem diſcedet. Eadem de Solone Athenienſi, & Lycurgo Lacedæmonio poſſumus commemorare. Quare uidemus ſæpe uſu

uenire, ut qui ciuitatis legibus optimè paruerit, is Platonis, aut Zenonis inſti tuta uiolaſſe deprehendatur. Hoc igitur, cuius ego reus citor, eiuſmodi eſt crimen: neq; enim ueſtræ leges ſophiſtam aliquid iniquum, aut legibus contrarium eſſe oſtendunt: ſed præclarum & non omnino rebuſp. inutile exiſtimant: cum tamē Academia, & Lyceū illum excludat, neq; intromittendum putet in templa, aut ad ſacras res eum, qui huiuſmodi nomen auidè affectat, Video igitur mihi hodie, quando mea cauſa huc conueniſtis, faciendum, ut neque Solonis, neq; Draconis, neq; Cliſtenis, neq; Lycurgi, ſed huiuſce ciuitatis leges expendam, eaq; indicia ac ſigna, quæ ab ijs ad hanc rem dijudicandam traduntur, diligenter examinem: quòd ſi uos me iniquè, ac præter leges aliquid admittere ſtatueritis, non recuſo quin me ipſum in manus accuſatorū tradatis, ut ij quacunq; uoluerint pœna afficiant: quòd ſi ueſtigia illa, & ſigna

gna aliò uideritis tendere,& ad quemuis potius, quàm ad me pertinere nihil erit, quòd me non uirum optimum,& innocẽtiſsimum, abſoluendum, & Sophiſtæ nomine indigniſsimum cenſeatis. Platoni diuino illi uiro tabulam eſſe cõſtat huiuſmodi legum plenã, multaq́ꝫ ibi ordine inuenta ac collocata indicia, quæ non ſanè difficulter explicari poſſunt, ex quibus perſpici poteſt, qualis eſſe debeat is qui Sophiſtæ nomẽ mereatur. Hæc ſunt à nobis primũ proferãda & examinãda: deinde an cõueniant in me ea omnia, multa ne an pauca uidebimus. Peto igitur à uobis per Gratias, ut attẽtè me audiatis, dũ commemoro quàm diligenter hic legislator uenatoris more feram omnibus ex partibus circumeat, deinde retib. inuoluta potiatur. Primùm à Platone ſophiſta is dicitur, qui quæſtu ac mercede ſibi propoſita locupletes iuuenes uenatur. Idem deinde in dignoſcendis animi perturbationibus, & il-

lis etiam ubi opus fuerit oportunè excitandis, peritus eſt artifex. Poſtea horum etiam ipſorum eſt caupo: præterea ille quoq; eſt huiuſmodi, ut quæ artificio ipſe ſuo opera confecit, ea ipſemet uenalia exponat. Libenter etiam de uerbis tantùm diſceptat, & contentionum cupidus pugnaci orationis genere delectatur. Poſtremò (atq; hunc Plato ueluti colophonē ſermoni ſuo impoſuit atq; adiunxit) ea opinatur, quæ non ſunt, per ſpectra imitatur: artifex eſt ſimulachrorum earum rerum, quæ ueræ ſunt, & pręſtigijs quibuſdā, ac fallacijs in uerbis, ac ſermonib. ſemper ſibi utendum eſſe arbitratur. Totam enim hanc uerborum, & nominū ſeriem in germanum Sophiſtam conuenire dicit Plato: ut ea ratione multiplicem, ac multiformē illius naturam, quoad eius facere potuit, omnino exprimeret, ac nobis ueluti ante oculos poneret ac demōſtraret. Sed agite, iam ſingula hæc à principio exorſi diligenter

ter

ter conſideremus,ut ſi quid in me inue neritis, id uobis totius curſus uitę meę indicium afferat. Primùm igitur teſtes eſtis omnes, neminem me unquam locupletem adoleſcentem uenatum eſſe, neque ab eo conſuetudinis, aut cõgreſſus mei mercedẽ exegiſſe. Noſtis enim diſcipulos meos neque adeo adoleſcẽtes eſſe, ut à me facilè poſsint decipi: neque ita opibus abũdare, ut doli, aut inſidiarum mearum debeam fructum aliquem repetere aut expectare. qua tamen in ſententia me eſſe nõ nimis glorior: neq; nimiæ grauitati aut ſuperbię mihi tribuendum eſſe puto, quòd mercedem aliquando recuſarim. Ipſe certè ſi pecunia indigeam, neceſſarijsq; ad uictum præſidijs, non tamen mihi uelim pecuniam mercedis loco numerari. Illud autem puto uos ſcire Critonem à me neceſſariarum rerum miniſtrum delectum eſſe: quales ſcilicet Socrati Sophroniſci filio maior Criton: teſtam ſcilicet cauam, quæ erat quotidia-

ni tantùm uictus plena, parare ſolitus eſt. Sed neq; ego indigeo cõtentus his, quæ habeo: mihiq; ſatis eſt ea merces, quam afferunt ij, qui mecum ſunt, modeſtia ſcilicet, uerecundia, temperãtia, animi tranquillitas, humanitas, non obedire uentri, non eſſe ſtupidos, nõ ingratos, non loquaces, non gloriari lecto uno libro, in quo per noctem euoluendo plus temporis conſumpſere, quàm Græci in expugnanda Troia. Neq; uerò mihi adeſt ipſorum aliquis, qui me ſequatur: neq; unà accurrit palliolo affixus: quæ omnia ſolent ex ſua arte ad Sophiſtas cõmoda peruenire. tantùm uerò abeſt, ut aliquid lucri ex hoc grege meo faciam, ut ij quoq; qui me Sophiſtã uocant, nõ audeant mihi hoc obijcere: quippe qui aiunt hanc mihi artem detrimento eſſe, largiendis enim neceſſarijs ad uictum, numerandoq; argento, ita allicere ad me gregẽ, & allectum in officio retinere. Horum igitur, qui ita de me ſentiunt, iudicium

ſi ſe-

ſi ſequamur, diuerſa quadam ratione mercenarius uenator dici potero: non quia ipſe mercedem accipio, ſed quia alijs impertio. Ego ſanè, ne uos conſilium meum cælem: ſiue id de me honoris, ſiue ignominiæ cauſa iactant obtrectatores ac inuidi mei: diſcipulorum meorum inopiæ, ſi qui ſunt, libenter opem fero: id enim mihi longè liberalius ac magnificentius uidetur, quàm eos torquere, perdere, ac ſuffocare, præſertim ſi cogas eos ſoluere, cum tamen ſoluendo non ſint. Verùm neq; illud, per ſe quidem, neque hoc ullo modo laudabile eſt, quando nullum præ ſe fert uirtutis, ſed auari, ac ſordidi animi, & pecuniæ appetentis indicium, ueréque Sophiſtici, ac mercenarij. Quis enim poſsit eum laudare, qui propterea quòd Demoſthenis orationes aut Ariſtophanis comœdias explicarit, & ſingulorum nominum ac uerborum interpretationem commodam adhibuerit, nulla tamen cogente inopia, ma

num porrigit, & in exigenda pecunia, publicis exactoribus eſt moleſtior? Nam Prodicus quoque, & Protagoras Abderites tales ſe præbuerunt, alter enim emēdatam locutionem, & rectam uerborum explanationem mercede accepta adoleſcentes docebat, alter Simonidis & aliorum poemata interpretabatur, uterq; tamen & Sophiſta erat, & dicebatur. Pecuniam enim ab adoleſcētibus opulētis accipere, quidquid id ſit, quod traditurū te profitearis, hoc eſſe Sophiſtam ille ait, qui in omnium rerum ſcientia maximè excellens principatum tenet: quos Plato inter ſe diſtinguens neque Iccum gymnaſten Tarentinum, neque Herodicum Sylembrianum pædotribā ab hoc nomine liberat. Sed cùm artes profiterentur, ĳs ueluti quibuſdam uelis ſeſe illos uiros oſtendit tegere: reuera autem Sophiſtas eſſe non contemnendos, quòd ab adoleſcentibus pecuniā acciperent. Fortaſſe autem huiuſmodi

homo

homo interpretem ſe profiteatur Ariſtotelis, ſi modò laboris huius fructũ aliquem ſe ſperet percepturum. Quid multa? quemcunque erudierit, in eum non dubitat manus inijcere, & ueluti reum in iudicium uocare. Nam ſi ueram ſapientiam profiterentur, cum ea ſit neſcio quid pręclarum, ac graue, certè non tam turpiter abiectam, uenalem proponerent. Nam ſi rationem ipſam ſequamur, mercedem exigere ab adoleſcentibus (quemadmodum paulò antè dixi) id exiſtimo Sophiſtæ proprium eſſe, quidquid id ſit, quòd te profitearis traditurum, ſiue præſtans aliqua ſcientia, ſiue uilis, & ſordida ſit. Qui uerò liberalitate ſua diſcipulorum inopiã lenit, cum hic & eorum animos excolat, & corporis etiã tenuitatem ſuſtentet, eum ego & perfectũ hominem, beneficum, & ſeruatorẽ exiſtimo. Si quis autem corporis rationem habeat, animo uerò inſidietu hic & arrogãs, & Sophiſta dici debeat,

etſi minus certè offendit, quàm is qui utrunque corrumpit, ac deprauat. Cuiuſmodi autem ego ſim, diligentius conſiderate. Neque enim à me nego diſcipulos meos multa pecunia & largitionibus pellici, & alios una tantùm mina, alios duabus, alios pluribus, & talento quoque emi ſolere. Sed quid me oportet præter naturam, ac inſtitutum meum gloriari? præſertim cum aliqui ex ijs, qui mecum ſunt, uobis cogniti ſint. Neque uerò dico, ſi quis forte furens, ac ueſanus in ludum meum ingreſſus, ibi aliquandiu in ligno oſcitanter ſedit, quem ego ueluti canem aliquem rabidum, & confixum palùm inde abigere non potui. Neque enim hic mecum uerſatus eſt, ſed in ſpelunca, & tecto meo manſit. Ex ijs autem, quos ego delegi, ac plurimi facio, éſtne aliquis, quem ſciatis conſuetudine mea deprauatum, & ex meliore deteriorem, ex modeſto, ac manſueto arrogantia plenum, & ſtupidum effe-
ctum,

ctum, & nunc odio haberi, cũ tamẽ antea multis & probaret, & charus eſſet? An eſt ullus ex diſcipulis, quẽ audieritis gloriãtẽ & inflatũ, quòd acutius, ac ſubtilius de Synonymis, uel Homonymis, uel Paronymis diſſeruiſſet? Nũ illi quidẽ natura ipſa tẽperati ſũt ac moderati, ego uerò illos glorioſa quadã oſtẽtatione extollo? cũ apud omnes homines pro illis ſpõſor ſim factus, & palàm prædicem eos, ex quo me ſtudioſius diligunt, ac colunt, facilius ac melius, quid dicat Ariſtoteles, intelligere, ſuóſque affluente auri atque argenti copia opulentiſsimos reddere? an ij & odioſi ſunt, & importuni, moleſtíque ijs etiam, qui nihil petũt? Quin ego ſingulorum egregias uirtutes, & præclara ornamenta commemorarem, niſi nefas eſſe ſcirem domeſticum harum rerum teſtem adhibere. Neque enim Athleta ille corona, aut commendatione dignus eſt, quem Pædotriba, & ſodales, ac familiariſsimi

laudant, ſed is, quem in gymnaſijs leniter, ac facilè ceruicem inflectentem, & plumbeas pilas modò huc, modò illuc uerſantem multi uiderunt. Ille igitur, qui non modò ab alijs pecuniam non accipit, ſed ipſe ſuam largitur, & gratis uirtutem hominibus tradit, hunc ego longè alienum à Sophiſtæ nomine exiſtimo. Verùm ego aliorum uobis ſomnium narrabo, atque id ne putetis habendam fidem iſtis, qui de theſauris meis ſibi ſomnia confingunt. Somniarunt enim cellam mihi eſſe rebus omnibus refertiſsimam, ex qua cuiuis liceat quantum uelit haurire. Quod utinam ſomnium non eſſet falſum. Neque enim turpe eſt liberalitatem, ac magnificentiam oſtentare, cum ſpecioſis uerbis, tum etiam re ipſa, præſertim cũ diuitiæ ipſæ iuſta & legitima ratione, uel potius beneficio deorum immortaliũ quæſitæ ſint: quarum fontes lucidos, & quietos ex longinquo loco defluentes nullus iniuſtitiæ riuus inquinat,

quinat,aut polluit. Verùm neq; mihi adeo amplũ relictũ eſt patrimonium, neq; in paranda pecunia, & faciendo quæſtu ſum tã induſtrius, ut mea aut poſsim, aut debeam temerè profundere ac diſsipare. Sed audite quæſo & alterum quod de me accuſatores ſomniũ diuulgarunt. Aiunt enim me Regij frumenti aceruos ſimul omnes abſumere, & diſcipulis auditoribúſque tribuere. Ego uerò frumentum Regium me inſumere nunquã negabo: atque hoc ex publicis horreis acceptum. Quòd ſi factum hoc Sophiſtam oſtendit, uos omnes certè Sophiſtæ eſtis, neq; ſolùm uos, qui hìc conſidetis, uerùm etiam ſutores, balneatores, ij qui coria incidunt, quíque diluculo ſurgentes ſepes culmis, & arundinibus contexunt. Illud autẽ decet uos ſcire, quòd cum mihi per Regis benignitatem liceat non ſolùm frumenti modios ducentos, & olei amphoras totidẽ quotannis accipere (cum tamen de oleo ni-

hil dum audierint accuſatores, quæ tamen mentio imprudenter eſt à me facta, atque id, ut magis diſcrucientur) uerùm etiam delicatius uiuere, & luxurioſius, ijsq́ue rebus omnibus frui, quæ in tabulis regio ſigillo obſignatis adſcriptæ ſunt: Regi tamen non putaui mihi in hoc parendum, etſi id à me uehementius contendit. quam tamen regiam beneuolentiam nullis precibus, aut aſſentationibus, neque ullo adiutore, aut deprecatore uſus, mihi paraui; ſed cum ipſe ſermonibus meis interfuerit, & diſputantem me ſæpius audierit, factum eſt, ut maximis me præmijs dignum iudicarit: quæ tamen ego omnia ſum aſpernatus: in quo tamen rectè ſentiam, nec ne, uos iudicate. Ego turpiſsimum ſemper duxi, & à libero homine alienum, alterum decipere, & in ea re mentiri, quam tu in te ipſo omnium præſtantiſsimum agnoſcas. Ea autem uitæ ratio & forma, quam ſibi quis ſequendum propoſuit: omnium

eſt

eſt illius actionum, & affectuum animi maximè præcipuum: à quo quidẽ defi cere ſine ſumma ignominia, & infamia non poſsis. Si quis igitur philoſophię ſtudiũ profiteatur, & hoc etiã nomine uocari uelit, interim tamẽ delicata cibaria & pretioſũ uinũ atq; obſonia, dato argento conquirat, & in tabernis contendat, ac rixetur cum ipſis miniſtris, hic ſanè ſordido illo palliolo indigna facit, & in chlamidis ac zonæ contumeliam tumultuatur: ipſisq; etiam armatis militibus importunior depræhenditur. Ego igitur eorum omnium, quæ à Rege ciuibus ſuis, nõ autem militibus, ad uictum neceſſaria ſuppeditantur, partem quandam accipio, tanquam unus ex uobis, atque hic malui uobiſcum, quàm in patria uiuere: in qua ſi mihi liceat eſſe, dignus ſim certè, cuius membra diuellantur, ac diſtrahãtur, ſi neceſſario uictu alibi indigeam. Ego certè ea omnia, quæ me potuiſſẽt opulentiorem efficere, & meorum etiã

mancipiorum famẽ depellere, quæq́ʒ ſi à me admittantur, confeſtim alio nomine, minimeq́ʒ palliolo hoc meo digno appeller, aſpernatus ſum ſemper, ne qua, ex indignitate mea, labes, maiorum meorum dignitati aſpergeretur. Neque uerò idem de Rege, & philoſopho ſentio, aut alterum exiſtimo in ſummo humanæ fœlicitatis gradu conſidere, neque habere ultra quò progredi poſsit: alterum uerò qui grauiore aliqua contemplatione alitur, & maius quid, ac excelſius ueluti per ſomnium reuoluit, humi ſerpere, neq́ʒ in illã ſpeculam aſcendere, in qua altiſsimè ſtantes cœlum deſpiciunt terram, & mare, ipſum Iouis ſolium, ueram illam, ac diuinam maieſtatem, ubi & nectaris fontes ſunt, & ambroſiæ pratum: ad quẽ locum non aſcendas etiam ſi tecum afferas literas ſigillo aureo obſignatas: ſed adhibendæ ſunt literæ illæ antiquę & præ nimia uetuſtate à tineis exeſæ, quæ à Platone & Pythagora ſcriptæ olim

olimdicũtur. Quod igitur ego horreũ in diſcipulorum meorum gratiam exhaurio? quod triticum effundo tanquam in ſeruorum nuper emptorum caput cataclyſmata? Illud quidem ſic exiſtimo, Dionyſij triticum etiam ſi plus eſſet decem partibus, ne Ariſtippum quidem Cyrenæum efficere Sophiſtam poſſe. Ego uerò, etiam Gorgia ſuperiorem me puto, etiam ſi hic chœnicas triginta dicatur diſcipulis ſuis diſtribuiſſe. Quin horreum clauſi, libentiúſque geometriæ, & arithmeticæ ſcientiam traderem, quàm teruncium unum inſumerem. Inſtitui ego adoleſcentem quendam patre orbum, eumq́ modeſtum effeci, ac probũ, qui nunc domi meę & rei familiaris curam gerit, & menſas duas proponit: alteram lautiſsimis epulis inſtructam: alteram argenteis uaſis ſplendentem. Eas porrò apparant ac ſternunt illi, qui nihil Ariſtotele indigẽtes, ea tantùm quę ad neceſſarios uitę uſus,

ac uẽtris expletionem commoda ſunt quærunt. Deſcendo autem in forum multitudine & artificibus ſtipatus, qui ad ſingula mea uerba clamantes, ac uociferantes inter ſe, quis nam ſit, qui in arte ſua præſtantius, aut melius opus efficiat, cõtendunt. Quòd ſi eſſet à me chorus hic, & choragus inſtitutus, nec iure dici poſsim Sophiſta, nec ipſo etiam Protagora inferior: qui Calliæ ingenio, hominis ex tenui ac paupere ditiſsimi effecti, abutebatur. Nemo eſt autem ex meis diſcipulis ita celebris, neque luxuria diffluens, ſed domum quidem meam frequentant, me amant & colunt, mercedem autem neque ij ferunt, neque ego accipio. Qua igitur ratione eos ego ad me pellicio? aut quibus cautionibus, & præſtigijs fit, ut multi relicta ueterę Græcia, & finitima Ionia, in quibus maxima philoſophię ſtudia exercentur, in urbem noſtrã confluant? Nihil profecto eſt quòd eos hinc aut poſsit, aut debeat arcere:

nam

nam ciuitas, & magna eſt, & fortunata: neq; hic profuſas uoluptates, neq; tumultuoſas nundinas uidemus, neq; ocij, aut quietis abundantiam deſiderari. Quod tamen non animaduertunt acuti iſti ac perſpicaces, qui in meipſum ſpicula intorquent ſycophantæ. Verùm ego à longiore huius rei commemoratione ſuperſedebo, ne ineptè, ac temerè gloriari uidear. Quas hactenus recenſuimus rationes, quibus & adoleſcentes allicio, & allectos inſtituo, eas me coegit in frequentiſsimo hoc Theatro accuſatorum improbitas proferre ſcilicet, ut ueras, non autem quales mihi affingunt aduerſarij falſas, ac planè commētitias, afferre me ſolitum intelligatis, proptereáque nullam eorum de me calumnijs fidem adhibendam exiſtimetis. quæ etſi uobis bene nota arbitror, neque fore, ut ea ex animo deleatis ueſtro, apertius tamen ſignificare operæpretium duxi. Ego cum eſſem aliquando iunior, fortunas

omnes meas à parentibus relictas in commentaria quædam inſumpſi, quæ tamen nihil aut meum, aut alterius peculiare continent: in ijs tantùm obſcuriora Ariſtotelis uerba interpretor, ac dilucido, quibus ſe ipſum ſepſit, ac inuoluit, ne ijs, qui minimè eſſent initiati facilior ad ſe aditus pateret. Librũ hunc quando ſciebam nullo artificio, aut diligentia à me conſcriptum, nunquam putaui diuulgandum, quòd nõ eſſet uſui, aut commodo alicui futurum: mihi ipſi eum confeceram, ut ſi quid aliquando memoriam effugiſſet, eſſet ueluti ſtabilis, atque incorruptus eorum omnium quę à ſummis uiris didicream theſaurus. Hæc cum à me ſcripta diligentius ſeruarentur, quippe qui uerebar, ne extra fores prodirent, neſcio quo fato accidit, ut me inſcio atq; inuito effugerint, & de manu in manũ, ut aiũt magna feſtinatiõe tradita, in Sycionem perlata ſint. Habitabat

bat tunc in ea urbe uir quidam, quem ego maximè omnium, qui mea tempeſtate erant, in philoſophiæ ſtudijs & uerè & candidè dico, excelluiſſe. Fuit hic olim auditor Chalcidēſis iam ſenis, neque recentioris ſed ueteris Academiæ, & Lycei dogmatis eruditus. Erat autem ille eiuſmodi homo, ut quem honeſto aliquo ocio, & optimis ſtudijs delectari intelligeret, ei neque inuidere, neque illius conatum impedire uellet. quin etiam quos natura uirtutis amantes, & cupidos effinxerat, eorum animos acrioribus ſtimulis incitabat. Hic cum lucubrationem meam ſiue ea ſeria eſſet ſiue ludicra, legiſſet, idem propemodum, quòd Axiothea quæ poſtea philoſophi nomen obtinuit quod Zeno Cittieus, & Corinthius ille Agricola paſſus eſt. Nam cum Axiothea librum unum ex ijs, quos Plato de Re- ſcripſit, legiſſet, ex Arcadia ſtatim pro fecta, Athenas iuit, ubi ſexū diſsimulās

quemadmodum & Achilles apud Lycomedem, diu Platonem audiuit. Corinthius autem Agricola lecto eo dialogo, qui Gorgias inſcribitur, in quo Plato in Sophiſtam inuehitur, ſtatim relictis agris ac uineis Platoni animũ adiecit, cuius præcepta in eo & ſerebat, & plantabat. atque hic eſt ille, quem Ariſtoteles in eo dialogo, qui Corinthius inſcribitur, tantopere extollit. Quę autẽ de Zenone dici poſſũt, ea ſũt omnibus nota, & à multis iam decantata, eum ſcilicet Socratis apologia adductum è Phœnicia in Pœcilen deſcendiſſe, neq; de parãdo cibo laboraſſe & gregẽ cui præerat, in Boſphori loca dimiſiſſe. Et quoniã ea de re orta eſt inter adoleſcentes controuerſia, Delphos miſiſſe ſciſcitaturos ex Deo, nunquid doceret, quòd eſſet ſibi utilius, ac melius: à quo idem reſponſum, quod aliquãdo Socrates, dicitur accepiſſe. Exiſtimetis igitur uelim me non hæc tanquã pueris fabellam confingere, neque

uos

uos iudicis auctoritate permouere, neq; temerè gloriari, aut efferri: ſed quia nō alia mihi ratione licet maledicos cō uitiatores ulciſci, quàm ſi oſtēdam eos, qui me amant, & colunt, longè ijs meliores, ac præſtātiores eſſe. Nam & Socrates uir ille ſapientiſsimus non prius Apollinis teſtimoniū protulit, quàm à Lycone, & Anyto accuſatus, & poſtea à Melyto quòd & Sophiſta eſſet, & corruptor iuuenum in iudicium eſt uocatus. Tunc igitur ſibi Dei teſtimonio neceſſariò utēdū cēſuit. Sed tamē iudices illi tunc præ inſcitia decepti ac uicti, fallaci orationi, quàm Polycrates ab Anyto mercede corruptus conſcripſit, credidere. neq; id mirum, quando erant ij omnes ex uulgo, & plebe, qui neq; quibus de cauſis morte mulctarēt Socratem, quidquam penſi habebant. Vos autem eſtis ex omnibus ſelecti iudices quorum authoritate & clemētia factum eſt, ut liberè meam hîc cauſam tueri, & diu in hac contentione uerſari

nobis licuerit. Neq; enim alij ante uos arbitrati ſunt, aut palàm dixerunt eſſe in eo ſtatu res meas, ut ego Sophiſta dici debeam. Eſt ne igitur mirum me talium adiutorũ opera utentem, paucorum mihi iuuenum gratiam conciliaſſe? ac talium cõuiuarum, eorumq; qui pecuniam ſoluant, & guloſorum diſcipulorum turbam coegiſſe? Non enim retia, aut plagæ meæ, quas paulò antè cõmemoraui, infirmę ſũt, quæ è domo & manibus me inſcio effugientes, ſpõte paſsim uagãt, & ueluti pręclara Dædali opera, eos iuuenes irretiunt atque inuoluunt, quibus eruditæ, ac præparatæ ſunt aures: atq; ita ad me ſine ullo meo labore, aut cura prædam adducunt. Illud autem miror, quòd cũ mea hæc retia in medio, & in hominũ manibus poſita accuſatoribus liceat laxare, & ſummas partes conſcindere, cæteriſq; oſtẽdere infirmos eſſe laqueos ac debiles, & illorum ſtultitia fieri, ut ſponte propemodum in ijs inſidcant,
id

id tamen aut non poſsint facere, aut non aggrediantur. In quo mihi ſanè imitari uidentur malos canes, qui latrãtes ac tumultuantes non modò prædam non aſſequuntur, uerùm ſæpiſsimè etiam auertere & fugare ſolent. Quæ igitur indicia ſint Sophiſtæ mercenarij hactenus eſt à nobis non ſine multo labore explicatũ. Reliquũ eſt igit̃, ut ad mercatorẽ, cauponem, & eũ qui ſua ipſius opera uendit (his enim nominibus appellari ſolitum diximus Sophiſtã) ueniamus: ut quo in numero ego ſim, aut quo uerbo appellãdus, facilius intelligatis. Dicit igit̃ diuinus Plato, quòd cum certa quædam ars ſit, quæ in commercijs, ac negocijs contrahendis, & rerum permutationibus faciendis uerſet̃, eorum quę accipit loco, alia mutuo reddẽs, huius quidẽ ea pars quæ emptione, ac uenditiõe utens; ex una ciuitate in aliã quæ ultro citróque trãsferri poſſũt deducit, ac uehit ἐμπορικὴ, id eſt mercatura ſolet ab hominibus

uocari. Quæ autẽ in una ciuitate quieſcit, ac ſedet, ac res eaſdem permutat, ſi huiuſmodi ſit ut proprijs manibus laborans operas ſuas pecunia diuendat, quẽadmodũ coqui, & balneatores facere conſueuerunt, iure dicitur αὐτοπωλική; id eſt, nullius alterius miniſterio per ſe ipſam proprias res alijs tradens, ac uendens: quòd ſi aliena emens, eadem alijs uendat καπηλική, id eſt cauponia appellatur. Harum igitur trium ſingulæ cum unæ ſint, bipartitò eadem diuiſione diuidi poſſunt, prout res ipſæ uenales inter ſe differunt. Mercator enim alius eſt ciborum, ueſtium, calceorum, & omnium, ut ſummatim dicam, quæcunque aut ad ornatum, aut conſeruãdum corpus neceſſaria ſunt. alius literarum ſtudia profitetur, & diſciplinarum, quibus animus alitur & excolitur, mercaturam facit. eadem erit ratio cauponis, & eius, qui res à ſe ipſo confectas uendat. Si quis igitur muſicam, aut grammaticam, aut picturam, aut aliquam

eiuſ-

eiuſmodi ſciētiam, quæ animo & oble ctationem afferat, & utilitatem, ex una urbe in alteram transferat, & quæ hîc emerit alibi uendat, Lampe Aegineta nihilo inferior mercator hic fuerit. Si uerò in ipſa urbe habitet, atq; ibi diſci plinas alias emat, alias ſuo ipſius inge nio excogitatas uendat, atque argento permutet, hic caupo certè, & reru ſua rum uenditor, paulò certè diligētior, quàm Sarambes, & Therion. Atque ita Plato tricipitem ueluti Gerionem, Sophiſtā eſſe ait. Cuius me igitur mer catoris ſimilem eſſe dicent accuſato res? errantíſne alicuius, an in taberna aſsidentis? Ego certè urbes multas lu ſtraui, latius peregrinatus ſum quàm Socrates, cum tamen non ſim miles in Potidæam profectus, neque enim pro ſalute ueſtra arma geſtaui, ueſtra autē cauſa peragraui urbes & magnas, & opulentas, & ſeparatim Metropolin noſtram. neque uerò dico antiquas ſe des è quibus ij, qui iuxta Boſphorum

habitarunt,profecti ſunt. Sed eam urbem,quæ eodem imperij iure,quo ueſtra, aliјs dominatur. quis autem uobis alius fructus meæ illius peregrinationis cōſtet,planè neſcio. Ad eos quidem merces illas adduxi; & quæ mihi ſuppetebant, & quas apud uos paucis hiſce uiginti annis paraui, quarū alias ex antiquis memoriæ theſauris deprompſi,alias ipſe ingenio & induſtria mea inueni. qui homines cū antea aſpernari omnia ſolerēt,nihilq́ aut uellēt, aut poſſent mirari eorū,quę ab externis regionibus ad ſe aduehebantur,atque id propter admirabiliū rerū quas domi habēt & copiam & ubertatē, ita tamē mercibus noſtris allecti ſūt,ut nūc cū antea mihi regionē ſterilē,& ex plātarū multitudine incultā tradidiſſēt,frugibus multis,argento,& auro affluāt. ij enim quotidie me adeūtes,& aliquādiu mecū cōmorantes, nihil non agebant,ut ſibi iamdiu clauſa Pythagorę, Platonis,& Ariſtotelis tēpla pro uiri-

li

li parte patefacerē, oſtenderēq; ſumo-
rū uirorū ſimulacrha. quibus tamē, cū
primis diebus perſuaderi poſſe diffide
rē, largiendis gratis mercibus meis ita
eos allexi, ut cū de reditu ad uos cogita
re cœpiſſem, tunc uerò manus porrige
rent, Regis magni fidē implorarēt, ut
ſuę tātæ cupiditati adiutor, ac fautor eſ
ſe uellet. Horū aūt omniū digniorē ip
ſo rege teſtē poſsē ad uos producere,
eū ſcilicet cuius teſtimoniū ſcitis in Se
natu iā recitatū. Quomodo igiť ego ue
nalē ſapientiā expoſui? aut ad quos ho
mines profectus ſū prætcrquā ad eos,
quibus maximè licuit merces meas ob
latas accipere, & liberalitatis meæ ma-
gnitudinem experiri? Taceo Antiochi
urbē, nō cōmemoro quibus & quot ui
ris familiariter uſus ſim, & quàm cupi-
dè ijs merces meas flagitarent. Taceo
pręterea, quot me uiri in Galatia regio
ne Gręcię cōuenerint, quorū quidē ur
bes nō ita amplæ, aut latæ ſūt, ut cū illa
de qua modò dixi, poſsint aut debeāt

cõparari. Viri aũt quã celeri ſint animi motu, & ad ex cogitãdũ acuto, magis dociles ijs, qui uerè Græci ſũt, uos eſtis optimi teſtes. Hi cum quis uel ſordido palliolo indutus in cõcione prodit, ſtatim ex eius ſermone nõ aliter pẽdent, ac ferrũ ex eo lapide, quẽ Magnetẽ uocamus. Quod nã igiť tale, aut tantũ eſt præmium, quod nõ ego accepiſſem ab ijs, ſi me ducẽ ad percipienda Platonis dogmata oſtendiſſem, aut Demoſthenis orationes, & Thucydidis hiſtoriã interpretatus eſſem? Nimirum harum omnium rerum peritos ijſdem honoribus ac præmijs afficere ſolent, quibus Xerxes Themiſtoclen Neoclis filium. Et quoniam ex ijs urbibus multi & unà uobiſcum aſsident, & iudicio huic præſunt, quærite ex ijs, uera ne an falſa ſint, quæ dico. Eadémq; ratione uelim alij uos doceant, me non eſſe ullius diſciplinæ, aut artis mercatorẽ. quòd autem neque caupo ſum, neque meorum ipſius uenditor, id uos optimè

me intelligitis. Num ego in aliqua officina ſedẽs orationes meas uel paruas, uel magnas uendam, mihíque hac ratione uictum parem? præterea num in uendendis ſapientiæ ſtudijs caupones illos imiter, qui ſubdolè, ac uerſutè cyatum oſtendentes uociferantur, & clamant: Nectar hoc poculum fundit: Hemina uerò longè capacior. Sapientia uerò & cogitat ea quæ dicit, nullámq; ſibi proponit materiam, quam non habeat perinde notam, ut ea quæ illam conſequuntur. Illud potius, eas hypotheſes quas reliquæ artes, ac ſciẽtiæ, argumentorum quæ fidem faciãt, copia deſtitutæ tractare nequeunt, una diligentius examinans, dilucidas facit, & firmat. Rectè igitur artium regina dicitur, quando reliquas huius unius præſidio niti uidemus: hanc autẽ ueluti architectum quendam illis præeſſe: ſiquidem uia & ratione quæſtiones ſingulas tractare eſt neceſſe. Sed non ita, ut in angulis, aut triangulis

diu ſibi uerſandum & in numeris prorſus contabeſcendum putet. In cæteras igitur artes, hæc regalem propemodum poteſtatem, atque imperium ſuum exercet. Singulas præterea tanquam ex alto ſolio ad ſe accedentes intuetur, diligenterq́; examinat, quæ ſit Rebuſp. utilis, quæ noxia, & ad lapſū procliuis, quæ intromittenda ſit tanquã ſalutaris, quæ contrà difficillimis tẽporibus ne ignominiæ ſit, ac dedecori penitus reijcienda. Reuera enim omnis ars ad tractanda ea omnia, quæ ſub ſe comprehenduntur, idonea eſſe poteſt, maximeq́; ad inſeruiẽdum ijs, qui ſuo egent præſidio, accommodata. quantum autem ipſa aut detrimenti aut emolumenti ſit allatura animaduertere ipſa non poteſt. Illud præterea artium omnium uitio maximo accidit, quòd ſua ipſorum opera tam bonis, quàm malis architectantur. neque enim gladiorum artifex ſcire poteſt, homicidæ ne gladium ſit paraturus: neq;

neque fabricator nauis, latroni ne nauim, id quod neq; Harmonides diuinare potuit, num ea quam fabricaret, nauis ad Paridem peruētura eſſet. Neque gubernator proficere poteſt, ſit ne in ipſa nauigatione ſeruaturus eum, quem melius eſſet demergere. At ſapientia omnium artium opera dirigit, ac diſponit, atque ijs quæ illis inſunt uitijs, prorſus medetur, neq; ſinit tanquam cæcis ſpectanda proponere quibuſcunque, quę ab ipſis fuerint elaborata. Hinc igitur celebre illud dictũ emanauit, ſapientiam eſſe doctrinarum parentem, atque artium omnium artem, quod harũ quidem principia reddat firmiora. Qualem autem illę uſum babeant diligenter inquirit & inueſtigat.

EIVSDEM DE CLEmentia Theodoſij Imperatoris In Senatu habitæ orationis quintæ.

ARGVMENTVM.

HIERONYMO DONZELlino interprete.

THeodoſium Imperatorem diuinis laudibus in cœlum effert. Eius autem quo illuſtrior ſit commendatio, utitur contentione: illum enim plurimis antiquorum Regibus atque Imperatoribus comparat, quibus in omni uirtutum ac laudum genere præferendum cẽſet. Cum autem ueterum ſcriptis duo illi maximè celebrẽtur, Lycurgus Lacedæmonius ſcilicet & Alexander Macedo, alter ob uitæ ac morum ſanctitatem, alter ob Imperij potentiam atq; amplitudinem, multa de his potiſsimum uerba facit, ac utrique Theodoſium multis rationibus præſtantiorem ſtatuit. At uerò cum oraculorum omniũ, Delphici uerò præcipuè, maxima ſemper apud priſcos fuerit authoritas, à minori uſus argumento dicit: cum oraculum Apollinis & potentia & uirtutibus inferiorem Lycurgum tantùm non Deum uocandum cenſuerit, longè citius ac expeditius, omniq́; amota dubitatione, Theodoſium eiuſmodi titulo ab ipſo fuiſſe exornandum. Vt autem diuina appellatione magis etiam dignum probet, huic maximè peculiarem dicit eſſe clementiam, quæ uirtus Deo potiſsimum ab omnibus attribui ſolet. Amplioribus

itaque

itaque uerbis illius clementiam, ac ut ipſe uocat φιλάνθρωπίαν exaggerat, humanum pium ac ſeruatorem uocans: quæ certe uirtutes hominem Deo ſimilem efficere conſueuerũt. Alexandrum uerò potentiſſimũ quidem fuiſſe ſed tetris atque immanibus uitijs laboraſſe, ut multis nominibus Theodoſius illi ſit præponendus; eo autem maximè quòd cum ille crudelitate ac ſæuitia, hic ſumma in omnes tam ſontes quàm inſontes clementia inſignis ſemper fuerit, ita ſane ut à ſupplicijs ac meritis pœnis quàm plurimos liberarit. Ac tandem eius uſque adeo manſuetudinem prædicat, ut ſuorum animos nunquam ſeditioſos aut turbulentos, ſed eximia ſemper erga ſe beneuolentiã affectos habuerit: & ab hypotheſi ad theſim translatã oratione, optimam ac ſalutarem eſſe adminiſtrandæ reipublicæ rationem docet, ſi ſubditorum animi in principes ſuos beneuoli, omni uerò timore penitus uacui exiſtant. Cum igitur rectam imperandi rationem tenere illum probarit, nullis ſapientum quæ illud doceant præceptis egere dicit, quòd natiua uirtus abundè illud ipſum præſtare poſſit. Quare ab Alexandro quidem olim Achillem beatum exiſtimatum eſſe, quòd Homerum ſuarum laudum habuerit præconem, ſe uerò longè beatiorem ducere, quòd tam Auguſti Imperatoris uirtutes ſuſceperit enarrandas.

THEMISTII PHILO-
SOPHI DE CLEMENTIA
Theodoſij Imperatoris oratio quinta.

INGRESSVM olim Lycurgum Lacedæmonium in Delphicum templũ ita eum allocutum eſſe oraculum ferunt:

Ad mea templa uenis donis opulenta Lycurge
Charus cœlitibus cunctis, ſummoq́; Deorum
Sed mihi, te ne Deum, an mortalem carmine dicam
Incertum, at potius ſpe adducor, dicere Numen.

Ego ſanè libenter abs te, ô Apollo ſcirem cur Lycurgum Deũ potius quàm hominem appellẽdum cenſueris? An quòd plurimis maximéq; inſignibus uictorijs potitus, innumerabiles hoſtium copias deleuit, & aceruos ingentes cadauerum extruxit? An quòd haſtatis militibus auro illuſtribus ſtipatus incederet? An quòd Niſæis equis illius currus traherentur? An quòd torquibus, tiara ac purpura eſſet ornatus?

tus: qui totus apparatus & magnificẽtia iure Helleſpontium hoſpitem dicitur perterruiſſe, & ob id etiam à Xerxe Darij filio Deum habitum fuiſſe. Ego uerò, ô Apollo hæc omnia puto minimi facienda, præſertim cum improbis & ſtultis Principibus perſæpe ſuppetãt, quos ne hominum quidem, nedum Deorum loco habendos cenſeam. In quibus mihi uidetur fuiſſe Xerxes ille homo tam ſtupidus, ut non dubitarit mare flagellis cędere, & compedibus Helleſpontum uinctum tenere, quique pro nihilo ducebat uel leui de cauſa hominem obtruncare. Si quis igitur de eo ex me ſcire uelit, non ego certè dubitem hominem ne, an Deum, ſed belluam ne, an hominem putem uocandum. Neque enim cum Romanorum Imperator Nero paulò poſt in idem templum introijſſet, dubium ſibi dixit eſſe Deus, quo nomine appellari poſſet, quippe qui ſciebat beluã facie humana præditã ingreſſã eſſe

Nā & ſi citharā manu geſtabat, & habitu çitharœdi ornatus erat, quo poetæ omnes ac pictores Apollinem oblectari aiunt, cum tamē animo eſſet alieniore à muſis, & prorſus agreſti, omniaq; cędibus non alienorum modò, uerùm etiam propinquorum compleuiſſet, tātum abeſt ut aduenientem eū Deus humaniter exceperit, ut deteſtatus ſit, & è templo egredienti coronam à capite abſtulerit. Neq; uerò unquam Crœſum Lydiæ Regem admiratus ſum, etiam ſi templum lateribus aureis repleuit, quando & cognomento Podablus quod erat argumentum delitiarum non uirtutis, eſt dictus. Quid igitur ego in Lycurgo potiſsimum animaduerti, ex quo Dei quàm hominis nomine dignior mihi uideretur? Manſuetudinem, iuſtitiam, pietatem, atque harum omnium reginam humanitatem: quā una rex ipſi Deo par exiſtimari poteſt. Cum enim Spartam nactus eſſet nullis legibus utentem, belli tantùm

tùm ſtudioſam, ad pacis ac iuſtitiæ opera omni ex parte traduxit, atque ita benignus fuit & clemens, ut illum qui ei oculum in concione eruerat, omni periculo liberatum conſeruarit: cùm in eum iam Lacedæmonij impetum facere cœpiſſent: eundemq́ hominem ferunt ab eo domum adductum, inſtitutum fuiſſe, & ex immiti, crudeli ac malo ciue, lenem ac bonum effectũ. Sciebat enim hic Rex, optimum Regem non perſequendis iniurijs, ſed beneficijs largiendis ſuperiorem uideri ijs, à quibus iniuria illata fuerat. Hæc enim eſt propria uirtutis uictoria, ultio autem potentiæ ſignum. Quare ô benignisſimè Apollo, nobis quoq́ ut hoc loco reſpondeas, à te precor, unius ciuitatis Rex, atque illius quę erat minima totius Peloponneſi pars, pauper ipſe, & pauperum Dominus, cui quotidianus in Philetio uictus exhibebatur, & erat potus Eurotæ aqua propter unã uirtutem, manſuetudinem ſcilicet qua

facilè cunctis omnibus præſtabat, ad tantam conſilij propemodum inopiã te redegit, ut prorſus ignorares, hominis ne, an Dei nomine eſſet uocandus. Quíd nam ſẽtias de eo Rege, cui terræ omnes ac maria parẽt, cuius cauſa Romani Orientis domini ſunt, Occidens autem ſumma quiete ac tranquillitate fruitur: qui omnium bona ſtudioſiſsimè procurat, neq; eorum tantùm qui eius imperio parẽt, uerùm etiã qui maximè parere deſiderant. Sed cur hoc? Quia ſe adeo mitem benignum ac mira quadam animi tranquillitate prædi tum erga omnes præbet, ut etiam maieſtatis reos & conuictos damnatosq; ab ipſa legũ acerbitate exemerit, & ex Acherõtis, ut ita dicã, faucibus ereptos ad lumen & ſolem reuocauerit, an dubitabis, ac diutius cõſiderabis Deus ne an homo in templum tuum ingreſſus ſit: ac non potius audacius pronuntiabis quàm quantus ſit arenæ numerus in uniuerſa terra, Regem hũc ſuperioris

ris alicuius diuinóque nomine dignũ eſſe? Olim certè illud mirabamur, aurũ ex duobus tantùm ærarijs acceptũ ad eos ſæpe rurſus peruenire, à quibus iniuſtè exactum fuerat, nunc autem intuemur homines ex Plutonis ueſtibulo ad uitam reſtitutos. & quos? eos, quos illuc lex detruſerat, legis autem dominus inde paulò poſt abduxit: nimirum ita ſentiens, aliam Iudicis, aliam Regis perſonam eſſe: atque illum decere legi obedire, huic leges emendare, earúmque ſæuitiam & aſperitatem corrigere licere, cum ipſe ſit ueluti quædam animata lex, literis prorſus immutabilibus & firmis conſcripta. Ob id enim arbitramur regiã poteſtatem regiumq́ nomẽ à Deo Opt. Max. in terras demiſſum, ut ab immutabili lege, ad animatam & uiuentem aliquod hominibus pateret perfugiũ. Huc igitur accedite ô Muſæ decus & præſidium noſtrum, quæ nobiſcum templũ, è quo diuinæ uoces & diuina

reſponſa ad homines perueniunt, incolitis, & unà mecum cantilenam canite, quam ego ſingularis Regis humanitate, quam nuper expertus ſum, adductus, edere ſtatui. Hic enim uir uos intuetur ac ſalutat, eodémque Reginam tecto excipit, ipſiq́ ſtatuam in eodem hoc templo ſtatuit, ubi & eius, & illius filij poſita ſunt ſimulachra. Inſtituentur præterea uobis chori & ſaltationes, quæ certè omnia propter ſocietatem & arctiorem iſtam coniunctionem, futura ſunt anguſtiora. Eſt igitur nobis iam exordium ſumendum, non unde Homerus ſuum ſumpſit, neque enim exitialem Achillis iram celebraturi ſumus, quæ mille dedit diſcrimina Achiuis: ſed manſuetudinem humanitatémque, qua quidem omnibus oſtendit Rex ſe longè alienum habere animum à damnandis hominibus uel iudicio conuictis. Huius autem rei illud argumento eſt, quòd cùm calculus niger permaneat non uidetur ab ipſo

rege tactus fuiſſe. Nam ſi ad ipſum per ueniſſet, color profectò diuerſus à priore differret. Scutum certè utraque manu geſtare ac tractare didicit, calculum autem dextra tantùm, ſiniſtra minimè omnium poteſt. Neq; huic aureæ ſunt ſtateræ mortis ſcilicet ac uitæ, cuiuſmodi Homerus Ioui attribuit, cùius altera pars, quæ ſcilicet uitæ ac ſalutis cauſa eſt ab altera mortifera deprimatur: ſed cùm uitalis ad cœlum attollatur, altera quæ ad mortem ac tenebras perducit, neceſſariò in terram uergit. Præterea neq; dolia duo poſita ſũt in regis aula, cuiuſmodi idẽ Homerus eſſe ea quibus mortaliũ fata cõtinẽtur in cœlo apud Iouẽ ſcribit: alterum ſcilicet bonorũ plenũ, alterũ malorũ. Regi autẽ noſtro nõ mortis doliũ eſt, ſed uitæ tantũ, ſẽper plenus & ſuperfluẽs, ex quo uitã hauriẽs, merã ſalutẽ hominibus largitur. Putat enim & meritò, Aſſyrio illi oraculo ſibi credendũ eſſe: quod eiuſmodi eſt, ut piè ſanctẽq; aſſe

rat, Regis cor in Dei manu poſitũ eſſe, atq; hoc alienum debere eſſe à ſcribendis ijs, quæ exitiũ afferunt & mortem. Quin illud accidere neceſſe eſt, ut quæ manus ſalutẽ cõſueuerit dare, ea ſiquis eiuſmodi literas cõſcripſerit, illæ facilè deleãtur atq; excidant. Nempe te diuino nomine, ô Rex, ſuperiori è loco ſenatus honeſtauit, neq; id quod ingẽti auri copia, aut coronis, purpureiſq; ueſtibus abũdes, neq; quòd repẽtè, quẽq; è paupere diuitẽ poſsis facere: hęc enĩ omnia uilia ſũt & lõgè cœleſti uirtute, ac diuina imagine inferiora: ſed quòd in unius Dei, ac Regis poteſtate hominũ uita poſita eſt. Neq; enim aliquis in Deorũ implorationibus uictorem eũ aut triũphatorem appellat, nõ Germanicũ, nõ Scythicũ, ſed humanũ, piũ & cõſeruatorẽ, quæ tibi uirtus omnibus uiribus eſt retinẽda; neq; enim te diuina illa manus à ſe repellet, ueluti Neronẽ, Domitianũ, & Seueri filiũ repulit. Quę tamẽ eadem Troianũ, Marcũ, &

Anto-

Antoninũ ciues tuos & principes cõplexa eſt, à quibus lõgè acceptũ regnũ tibi Deus ipſe tradidit. Hoc ego Trophęũ lõgè illuſtrius exiſtimo Scythico: quod tamẽ ſolus, & ſine armis erexiſti: tãtũq; abeſt ut in eo prælio ferro uſus ſis, ut etiã illud retuſũ fuerit. Tale quidẽ nõ erexit Alexãder, etiã ſi à Macedonia uſq; ad Indos penetrarit, & Dariũ ac Porũ potẽtiſsimos Reges bello deuicerit, quando ita uino oblectabatur, ut ebrius inter ipſas epulas Clytũ interficeret, atq; ita uinum, nõ uino, ſed ferro ulciſceretur: Idemq; nullius arrogãtiã ferre, neq; eum audire, qui audacius loquerẽt, potuit: quippe qui antea Clitũ, paulò poſt Parmenionẽ occiderit. Tu uerò optime rex nequaquã: quin improbis ueniã largiris, atq; id, ut probis gratificere, eóſque dimittis incolumes ac indẽnatos qui ſtulta ac uana locuti ſunt, tãquã eos, quibus triſtia ſomnia obtigerint. Atq; ita tu ad præclarã uirtutum omnium clementiã quàm ſa-

cillimè impelleris, ídq;, quia Dei quã ſimillimus & diuinæ cuiuſdam naturę particeps uideris: ſingula enim, paulo momento eò impelluntur, quò natura ipſa rapere, ac incitare ſolet. Et olim quidem in iudicijs, nulla in re, maleficiũ dicebatur ab infœlicitate differre: æquè enim exiſtimabatur peccaſſe, qui malè alteri cõſuluiſſet, atq; ille qui eo audito, conſilio tamen non paruiſſet: quæ tamen culpa naturæ magis quàm hominis propria eſt: quæ aures uoluit eſſe patulas, neque à nobis eas claudi aut aperiri cum uellemus, uelutí os & oculos: atque unus hic ſenſus, non uidetur in noſtra eſſe poteſtate, ſed neceſſariò ea omnia recipit, quæcunq; illi obijciuntur, inſtar domus apertæ, & in qua nullæ prorſus ſint fores. Tu autem non ſolùm eos qui malis aliorum audiendis conſilijs aures tantùm ſuas accõmodarunt omni penitus culpa liberandos cenſes, uerùm etiam improbis cõſultoribus pœnam

remit-

remittis & condonas. Quo facto cum nullum maius excogitari poſsit, ego tamen uocem ipſo admirabiliorem emitto. Nam cum nos omnes malorum tolerantiam, ac clementiam admiremur, tu ipſius etiam improbas tarditatem. Atq; hoc illius eſt proprium, qui moleſtè ferat, ſe uenia ſceleris reprehenſionem non præueniſſe. Neq; uerò ea ſententia quam antea tuliſti, celerior eſt ea quæ poſtea eſt conſecuta: qua tarditate quid uelocius fieri poſſet? Neque enim paulatim remittis iracundiam, neq; reos paulatim timore periculi liberas, neq; item iudicio iam peracto, quidquam inſidet in animo, cuius ſtimulis ad ſumendum de aliquo ſupplicium impellaris: ſed calculus à dijs datus triſtiori & acerbo longè antecedit, atq; ita repentè, ut iucundior illa tua uox, & ſalutaris prius audiatur, quàm funeſta & grauis. Memini ipſe me ingenti gaudio ac uoluptate fuiſſe perſuſum, cum audirem uocem ab homine

ad hominē delatā, atq; ea celeritate, ut eā quæ igni fit ſignificatione lōgè ſuparârit, quàm ÿ qui ſpeculātur, accenſis facibus, ſuis ipſorū ſocÿs afferre ſolēt, dum alter alterū, uel lōgè abſentem ad ſumēda arma excitare, aut de aliqua re alia uult admonere. Ex quo illud etiā plerunq; accidit, ut ſalutaris uox tua, ſublatas iā carnificū manus, ſuſpenſos q; gladios inhibuerit. Hācigitur tardā dicamus eſſe clementiā, cui ſtricti enſes & iam capiti imminetes, locū dederet? Homericus Iupiter (ſi modò illius fabulis credendū eſſe cenſemus) cū in ea deliberatiōe, utrū fatali neceſsitate Sarpedonē filiū, qui adhuc puer erat, exolueret, diutius cunctaretur, & iā propemodū ad miſericordiā pronior factus uideretur, Iunonis hortationibus cōſilium mutat. Noſter autē Rex reos libe rat neceſsitate, non multò quidē inexorabili fatorū iudicio inferiore, cui Regina āſsidens una mente ac pari cōſenſu ſententiam profert. Quos ambos ſe

quitur

quitur filius illis apprimè charus atq; iucundus, quem ijſdem moribus probè inſtituũt ac erudiunt, ut iam dextra & leua manu æquè uti poſsit, & ipſo pubertatis flore maximè illuſtris eniteat. ea enim ratiõe ad parẽtũ ſimilitudinẽ quã proximè accedet, potiſsimũ uerò ſi eãdem pietatẽ & clementiã omnibus in rebus adhibendã exiſtimarit. Atq; ita quidẽ ſe gerit Rex erga reos. Quo modo aũt illi tractant, qui antea, & ſi ab omni peccãdi uoluntate erant alieni, aureſq; tantùm ſuas ad eos qui malè cõſulunt adhibuerant, nihilo minus in iudicium uocabantur? An ij forſitan ſerò, & poſt lõgiuſculum temporis ſpacium ueniã ſunt cõſecuti? An nõ repentè, depoſito omni timore, feſtos dies læti celebrarunt tanquã ij qui nullius omnino criminis rei extitiſſent? An non cũ antea terrore perculſi, fronte triſtiore eſſent, pleni ſpe & fiducia ſunt facti? Quàm ego uultus mutationem eo magis admiror, quàm Mi-

neruæ opera Vlyſſes fertur ſumpſiſſe, cum ex pannoſo & malè ueſtito ſumptuoſioribus ueſtimentis induit, ut iuuenili ornatu à filio cognoſci facilius poſſet. Erat enim exterior hæc corporis mutatio. Tu uerò Rex, hominum animos in ipſis corporibus deliteſcentes, immutas: tuamq́ ego uirgam nõ minus pulchrã & auream eſſe dicam illa, quam Homerus Mercurio attribuit, cum tua nõ ex ſomno, ſed ex morte excitet. Hæc eſt cuſtodia, & præſidium longè ſolidius ac firmius ferro. Hæc magis Imperij tui magnitudinẽ conſeruabit, quàm in locis præcelſis atq; æditis diſpoſitæ faces, telorum iactus, aut ſecures, quibus crudeliſsimi Romani, quotidie homines cędentes, non modò concita in ſe odia non inhibuerunt, ſed etiam multorum animos in ſe ipſos irritarunt. Tuorum uerò maiorum longè diſsimilis fuit ratio: quippe qui humanitate, pudore, & beneuolentia magis quàm timore, retinendos

nendos in officio eſſe ſuos arbitrabantur. Nulla enim principibus certior eſt aut commodior Imperij conſeruandi ratio, quàm ſi populorum animos beneuolentiæ affectu in ſe propenſos habeant, ab omni uerò formidine penitus alienos: illa enim, imperia euerſa, hac conſeruata fuiſſe, & aucta cognouimus. Nam qui principes manſuetudinis famam adepti ſunt, neq; ſuos ludibrio habuere, aut affectuum impotentia in illos iniurij fuerunt: in eos, ſi quæ fortè inſidiæ aliquando ſunt diſpoſitę, repentè prius omnis inſidiatorum conatus concidit, quàm aliquid propemodum moliri cœperint. Ii uerò qui ſeſe in reos immites præbuerũt, & implacabiles, ita ut omnes quotquot in ſcelere aliquo fuerunt depræhenſi, necarent, ſemper inſidijs ſunt appetiti. Is enim ridiculus mihi ſemper eſt uiſus, tyrannicæ libertatis magiſter, ac cuſtos, qui eminentes è ſegete ſpcas abſcindebat: nemo enim unquam in illis

ſecandis ac excindendis uſq; adeo futu
rus eſt diligens, quin aliquot reliquis
altiores ſemper ſit relicturus. Atq; hęc
miſerrima tyrannorũ conditio, quod
cum omnes quos timent occidãt, nun-
quam tamen eo rem poſſunt perduce-
re, ut neminem timeant, ac ſyncerã ani
mi tranquillitatem ſibi polliceantur.
Memini ego Rex, quid iudicibus tuis
præcipere ſoleas, cum eos adminiſtra-
tioni urbium aut oppidorum præfi-
cis. Itemq; quid aliquando ei reſponde
ris, qui præ omnibus dixit, laboran-
dum ſibi eſſe de ſalute principum ſuo-
rum, ſcilicet ut omni metu ac periculo
uacui, ſecuri, ac tuti rerum potiantur.
Tu uero adnitendum potius eſſe dixi-
ſti, ut præclaram atq; honeſtam nomi
nis ſui exiſtimationem apud omnes tu
eantur. Neq; enim regi, uitæ diuturni-
tatem, ſed uirtutis præſtantiã eſſe expe
tendã, quãdo Dionyſius & Tyberius,
in imperio quidem cõſenuerunt: ſed ta
men quid aliud fuit hæc ſenectus, quã
diuina

diutina ac perpetua infamia? Is igitur qui ita ſentit, ſuæq́ ſaluti exiſtimationem bonã anteponit, an nõ eos magis improbos eſſe ac ſceleſtos arbitratur, qui impedimento ſunt, quò minus ad hanc gloriã perueniat, quàm illos, qui corporis ſaluti inſidiantur? Atq; hæc cũ ita ſint, nihil eſt quod ego tibi proponã ſapientiſsimorum uirorũ Platonis ſcilicet aut Ariſtotelis monita ac præcepta, ac multò minus cõſilium aliquod aut documentum à me ipſo tibi eſt depromendum. Sed quam tibi prudentiã, quemq́ animum peperiſti, in eum uelim intueare, uideasq́;, utrũ in omni actione, honeſti an utilitatis maior habenda ſit ratio: deinde an ratio omni perturbatione uacua ad obeundas actiones aggrediatur: an uerò animi cogitatio atque tranquillitas ab aliqua perturbatione labefactetur. Eſt enim periculoſiſsima perturbatio, cuius impetum ratio ſuſtinare non poteſt. Et ob id Perſæ, iure

Cyrum quidem patrem, Cambyſem dominũ, Darium autem cauponem uocarunt. Iuſtitia quidem patrem, iracundia dominum, auaritia cauponem creat. Patris autem nomen diuinum prorſus eſt, quando & poetæ Iouem hominum patrem uocant: reliqua nomina partim ferina, partim ſeruilia habentur. Innaſcitur in apum cellis Rex ab ipſa natura procreatus & inſtitutus, quem ipſa examina cum ſono & lætitia amplectuntur. Naſcitur & inter homines, ſed tamen raro, & poſt longa annorum interualla: tunc ſcilicet cum animi pulchritudo cum corporis excellentia coniungitur, ac commiſcetur. Atq; is certè magnus eſt Rex. cuius eſt forma & ſpecies integra, omniique ex parte abſoluta, & perfecta. Quare Alexander ille magnus, Achillem fortunatum dixit, qui ſuæ uirtutis Homerum præconem habuiſſet. Ego uerò meipſum fortunatum duco, quippe qui oratione mea in commendationem

nem

nem uirtutum tuarum inciderim. Quod tamen à me, non aſſentandi cauſa, ſed uirtutis ac ueritatis ſtudio factum eſt. Imperatorũm enim omniũ quos hactenus uidimus aut audiuimus, exceptis duobus, maximè inſignibus maximéque memorandis, nemo eſt, qui pari aut eodem tecum laudum ſplendore cuiuſquam prædicatione fuerit commendatus.

N

IN THEMISTII ORAtionem ſextam de ſtudijs Regis.

ARGVMENTVM.

HIERONYMO DONZELlino interprete.

Etſi in ipſa orationis inſcriptione, propriũ Regis nomẽ nõ extat, de Theodoſio tamẽ loqui Themiſtiũ ex parte orationis poſtrema apparet. Nam præterquam quòd apertam eius mentionem facit, ne de Valente aut Iuliano Imperatoribus intelligamus, quorum ſummam quoque (Authore Suida) in ſe beneuolentiam expertus eſt, ratio temporis prohibet: ſiquidem ſenior iam factus (ut ipſemet dicit) ad ſcribendam hanc orationem acceſsit, cum ſub Iuliano & Valente iunior adhuc eſſet. Theodoſium igitur ab amplitudine Imperij, à re bene geſta in bello, & uictorijs, à regnandi peritia, & rebus ijs omnibus procurandis quæ ad annonam ac rectam populi adminiſtrationem pertinent, ampliſsimis uerbis ornat. Quòd præterea urbem Conſtãtinopolim magnificis ac pulcherrimis ædificijs ampliorem atque ſplendidiorem effecerit eximiè illum laudat. Cæterùm quòd præclaris moribus atque uirtutibus & optima rerum ſcientia, mentem atque animum habeat excultum ac expolitum, & quòd in philoſophia percipienda libenter ac ſedulò operam & ſtudium ſuum ponat, illud uerò plurimum celebrat ac miris laudibus in cœlum tollit. Tandem à liberali ac regia educatione. qua filium erudiendum atque in omni uirtutum ac diſciplinarum genere inſtituen

inſtituendum curat, maximè commendat. Quæ ſibi à patre tanquam præceptori traditum, ſaluberrimis Ariſtotelis ac Platonis præceptis ſe expoliturum, ac ueterum heroum & probatorum imperatorum exemplis, ac præclaras res gerendas & gloriam excitaturum dicit, & cum iam adoleſcens patris ueſtigijs inſiſtat, eo longè præſtantiorem atque potentiorem futurum eſſe præſentit & auguratur.

THEMISTII PHILOSOPHI DE STVDIO REGIS *in diſciplinis percipiendis oratio ſexta.*

NVNQVAM ego fieri poſſe exiſtimem, ut is qui ſe inſignem equitem alijs oſtentet, & ab hac arte nomen ſibi imponi uelit, quod Neſtori in ſua poëſi tribuit Homerus, cum equitatorem eum ac equitem ſemper uocet, negligentem ſe & tardum in tractanda hac arte præbeat, ac non potius omnia accuratiſsimè agat, & contendat, ex quibus ipſe optimus eques agnoſcatur. Nam & facilè ſolet in equum inſi-

lire, leuiter inſidere, non negligenter deſilire, fræna opportunè retinere, eademque rurſus cum opus ſit laxare: in planis atque apertis locis fidenter & intrepidè equitat, cautè in difficilibus & anguſtis cuius contrarium apud Homerum reprehẽdit Menelaus, ubi moleſtè fert Antilochum in certamine equeſtri quòd mortuo Patroclo inſtituit Achilles, uictoriæ cupiditate incẽſum periculum nullum pertimeſcere, cum neq; equos cohiberet, ſed in anguſto eos loco ac prærupto impellens, in eodẽ curſu perſiſteret. Sic ſe res habet. An nõ item is qui periti atq; inſignis ſagittarij laudem aucupatur, neglectis alijs propemodum rebus dies noctesq; in unã hãc exercitationẽ incũbit? atq; id, ut ad propoſitũ ſibi ſcopum ſagittas ſcitè, celeriterq; dirigat? Ex quo etiam fiet, ut eius manus tractãdo aſsiduè neruo, & ſagittæ cauo tritas uideamus: tantoq; rei illius ſtudio eſt accenſus, quanto Cretenſis Meriones dicitur fuiſſe:

qui

qui etiã ſi columbam non aſſequatur, à funiculo ſaltem nõ aberrat. Sed quid eũ cõmemorẽ, qui ſibi ſtrenui bellatoris nomẽ uẽdicat? An hic, uiri inſignes deposita armorũ tractatione, eaq́ꝫ exercitatione, qua à dextra & à ſiniſtra didicit aduerſarium ferire, in ſyluis boum armentum paſcendo laudem hanc ſuſtinebit? & ob eam artem quam nunquam exercuit celebrari uolet? Sed ne longior ſim in proponendo uobis Nauarcho, Paſtore & Medico, quorum ſimillima eſt ratio, illud ita ſtatuo, neminem artificis optimi nomen ſibi parare poſſe, qui non prius in ea arte fuerit diligentiſsimè exercitatus. Sed iam ad eorum quæ propoſui ſcopum uenio. An ſi quis in excelſo conſtitutus, & ſedens purpura indutus, totius ferè terræ mariſq́ꝫ imperium habens, tã illius, cui iuſtè & legitimè imperat, quàm illius, cuius patrociniũ ſuſcepit, & cui depoſita omni iracundia facilè ignouit, hunc proprias ac ueras laudes

exiſtimamus deſideraturum, aut quibus laudibus extollitur, eas adulationis ſuſpitione non eſſe uacuas arbitramur? An non huius animus elatus & fiducia plenus, cum eum Dij immortales honeſtiſsimũ uelint? Et quidquid annos ab hinc ſex molitur, id non minus ab omni uituperatione, quàm à ferro ſit integrum? Recordemini igitur primum illud concilium, & Bœotium carmen, cuius gratia conuentus coactus fuerat. Viro enim huic ingredienti non ſatis eſt carmen poëticum audire, quale parato iam conuiuio audiri ſolet. moleſtè autem fert philoſophiam iam diu ad ſe non uenire, neque ſicuti olim ſolebat, ſatellitibus ſtipatam Imperatorias ædes frequentare. Phocion Athenienſis, uir ille optimus & integerrimus, cum habita oratione egregia animi alacritate Atheniẽſis populus plauſiſſet: an aliquid, inquit, improbè dictum imprudenter excidit? Regi autem nõ philoſophiæ uox, ſed
ſilen

ſilentium eſt ſuſpectum, atq; ex eius taciturnitate officium à ſe ſuum prætermitti arbitratur. Cùm igitur clariſſimis honeſtiſſimisq; laudibus, & magnis clamoribus celebratur, quę ex ipſo propè Helicone proficiſcantur, humilem ille certè laudatorem reſpicit, in ornata inſuauiq; oratione contentus: ita enim apertè declarat ueritatem ſe, uerborum ornamentis, & orationis ſplendori anteponere, quòd ille quidem non faceret niſi ſeipſum inſpiciens, & ſua ipſius facta conſiderans, magnitudinem regalium, clarorumq; facinorum contemplaretur, quæ illi aſsiduè philoſophia commendat, & ſuo ueluti calculo & ſententia confirmat. Nouit enim (id quod eſt ueriſimilè) orationes eas quæ à Poëtis & Hiſtoricis proficiſcuntur, libentius rerum ſpeciem, quàm ipſam ueritatem, & id quòd gratum eſt ac iucundum, neglecto utili, & commodo continere. atq; ita compoſitas, & paratas ad ſe introire, quemad-

modum ad Iouem facit Homerus accedere Iunonem, purpurea ſcilicet ueſte indutam, capite & auribus ornatiſsimam, & prætereа ipſo Veneris ceſto maximè inſignem. Non diſsimili ratione has orationes extrinſecus quibuſdam ornamentis aſperſas ſententiarũ ſcilicet & uerborum, partim reuera ſelectorum, partim ſententiæ congruentium: ex quo manifeſtè oſtendunt, nõ ea ſe ſoùlm quæ præclara ſunt admirari, ſed etiam illa in quibus ueteres poſitam fœlicitatem exiſtimabant, Imperium ſcilicet, ſecundam ſortunam, opes & potentiam. Nobis igitur in una hac re eſt elaborandum, ut hanc artem inquiramus, & cognoſcamus, qui uerus Rex ſit, quæꝗ; illius dignoſcendi indicia ſint certiſsima. neque enim illa ſunt, Aquila aurea, tenuibus filis Dracones intexti, neque tractandi arcus, & iaculandi ſcientia. Nam neque Neroni, qui citharœdum agebat, neque Domitiano, qui atra bile præmebatur,

hæc

hæc ornamenta dicuntur defuiſſe. Sed ſi excelſo ſit animo & ad meditationem cœleſtium rerum, & totius mundi huius optimi, ac maximi Regis contemplationem compoſito. & cum è cœlo initium duxerit, inde etiam legitimam imperandi rationem, quæqúe ad hanc eandem rem faciunt, hauriat. Quibus munitus præſidiis ô Rex non ſagittarijs, non armatis militibus, non Armenijs aut Hiſpanis, non equarum armatarum agmine ad extinguendam Scytharum flammam eguiſti, ſed tuo unius conſilio & prudentia flamma illa per ſeſe ipſam extincta eſt. Non oculis in terram deiectis, quaſi triſtiore aliqua cogitatione oppreſſus ingrederis, neque mente, aut animo meditans qua tibi ſit ratione ingens auri, & argẽti uis comparanda: quin dies noctesq́ꝫ id unum meditaris, ut aliquod quotidie inſigne, atq́ꝫ egregiũ facinus ad ſuperiores res optimè, & ſũma cũ laude geſtas accedat. quę una certè in omniũ

uaſtatione ſacroſáčta ſunt,& ab omni iniuria integra ac tuta, à nemine diripi aut conſumi poſſunt. Hæc igitur cũ tu præclarè intelligas ô ſapientiſsimè Rex,ad huius unius ſcientiæ doctrinã ac diſciplinam comparandam, tanquã ad tributum quoddam annuum exigẽdum te ipſum quamcitiſsimè conuertiſti,cuius opus in quo ſe ipſam conſtituit,in medio poſitum, ac in omnium poteſtate uidetur collocatum. Huius autem ſolius tributi exactioni nullum aut magiſtratum aut militem præeſſe uoluiſti,ſed ipſe in hanc curam incumbis,ipſe negocium diligẽtiſsimè admi niſtras,ipſe de tributo hoc exigẽdo cogitas: fortè etiam tu ipſe ærarium hoc ingreſſus illud occupabis. Mihi igitur duabus de cauſis eſt lætandum, tum quòd delitiæ meæ Rex ita eſt affectus, ut eam artem quæ omni prorſus mendacio uacua eſt,amplexetur ac diligat: tum quòd philoſophia ſola uiſa eſt digna,cui & fides haberetur,&regni lau

des explicandæ committerentur. Sed illud ô optimè Rex ſcire debes, non ea me de cauſa, quam tu fortaſsè ſuſpicaris, ſermonem hunc ad hũc uſq; diem diſtuliſſe. non enim id optimarum rerum aut argumenti inopia, ſed multitudine potius cõtingit. Nam cum quotidie, ac ſingulis horis egregia & præclara edas facinora, ea ego exiſtimo difficilè eſſe oratione mea complecti. Nec quæ hodie magnificè ſunt à te geſta, rurſus ea tollis, aut labefactas, ſed maioribus additis, uirtutum tibi inſignia & ornamenta in dies ſingulos ampliora euceſcunt. Ex quo fit, ut cum præclarum aliquod factum, aut honeſtè dictum uera laude exornandum ſuſceperim, alia ſtatim atq; alia deinceps occurrant multò plura & maiora, atque ita ut quæ primùm mihi tractanda propoſueram, ea obſcurentur, & propemodum deliteſcant. Itemq; cõtrà cum prioribus omiſsis, recentiora aggredior, repentè ſeries quædam rerum ge

ſtarum me obruens ueluti facto impetu debitum ſuperioribus rebus honorem cōterit, ac labefactat. Idem igitur mihi accidit, quod edacibus conuiuis, qui ex ſingulis quæ apponuntur epulis, pauca quædam ſemper deguſtant, nullis tamen ſaturari, aut immenſam cupiditatem poſſũt extinguere. Et ut accommodatiore utar exemplo, eadē eſt mea ratio, quæ uenaticæ canis. ea enim egreſſam è latibulo ferā inſequēs ita urget, ut non prius ſeſe ab ea diſiungat, quàm illā ſit aſſecuta. Quòd ſi plures eodē tēpore prodierint, relicta priore ad inſequendas alias cō feſtim accurrit. Neque uerò reprehendendi illi, qui in explicandis Herculis Iouis filij pro dignitate laudibus aliquando uerſati ſunt, earum inde exordium ſumentes, quòd libentius & alacrius certamina ſuſciperet, quàm ea defatigatus omitteret. Sic ſe res habet tua ô Rex optimè. Cum enim ad regia tua certamina, & præclarè res geſtas aliquis quotidie cumulus

mulus accedat, Muſa mea, quę uidetur uelle cũ curſu tuarũ laudũ contendere dum eas literarum monumentis, & im mortalitati ſtndet cõmendare, audaciã tamen remittit, ſibiq́ propemodũ diſ- fidere uidetur. Non enim ipſius ſermo nes celeres & leues autuento ſimiles ſunt, ſed tardi, ac lenti, qui in particu- las ſingula facta ſecantes non tantum aliquid actum eſſe, ſed quo etiam conſi lio, quando, cuius gratia, & qua de re actum ſit, apertiſsimè oſtendunt. Sæ- pe enim illud uidemus uſu uenire, ut uel minimum factum indicium ſit ex- celſæ alicuius mentis & ſumma laude dignæ: cuiuſmodi fuit uis illa, & impe- tus ad Rhenum factus. Nam etſi euen- tus conſilium ſefellit, animus tamen e- latus, uereq́ regius in perſequenda cæ- de ducis immaturo quodam fato è me dio ſublati, & illius gentis reliquijs cõ ſeruandis præcipuè enituit. Quòd ſi alicui exiguum hoc uidetur, is cogitet ſolo cõſilio, impetu, & incurſu hoſtilẽ

audaciam, cum iam eſſet ſerum diei, prorſus repreſſam. Id quod ab Achille factum legimus, qui cum ocioſus à pugna ſe abſtineret, nondum cœleſtiũ armorum præſidio munitus, uno tamen clamore & uociferatione à tentorio progreſſus, flammam quæ iã Græcorum claſſem inuaſerat, extinxit, atq; ita Troianorum pertinaciæ prorſus reſtitit. Quæ ego omnia dum ſingillatim conſidero, cogor aliquando calamum, & tabulam deponere, aut utroque parcius certè uti. Nam qualem te geſſeris in leuãdo tributis eos, qui imperio parent tuo, nemo eſt qui non intelligat. Illud tamẽ magis admiramur, ſi benemerendi tempus magis, quàm beneficij magnitudinem ſpectemus. Nam cum exactiones longè maiores, idq; indicio ſumpto ex ipſorum ſumptuum magnitudine, metu propemodum perculſi expectaremus, tunc tamen grauitate oneris ſublata, maiore quàm ſperabamus beneficio deuinxiſti.

ſti. Hactenus quidem nemo fuit, qui non metu, aut ui coactus ad uictum neceſſaria huc importarit, nunc autem quàm celerrimè ab omnibus ſpõte, ac nullo iubente commeatu adiuuamur. Regis uoluntati mare inſeruit. Hyeme enim celerior datur nauigatio onerarijs, quàm æſtate. Nec uerò in horreis fruges ulla uetuſtate corrumpuntur, neque araneis occupantur: ſed hæc plena ſunt, atque inexhauſta, noſtríſque in animis ea ſpes quæ prius defecerat, & conciderat, renouatur. Hyemem nunc agimus de futura fertilitate optimè ſperãtes, quòd hoſce theſauros nõ grauatur Rex ipſe proprijs oculis intueri nec horrea curare, & ea diligẽtiſſimè inſpicere ſibi turpe aut indignum eſſe arbitratur, cum tamen ipſum ærarium alijs cuſtodiendum tradiderit. Crœſus autam Lydorum Rex regium magis exiſtimabat eſſe, ſi poſſet auro plena æraria, quàm frumento refertã horrea oſtentare. Quare apud Solo-

nem Athenienſem non de tritici aceruis, ſed immenſa auri arena gloriabatur, quam non terra, ſed Pactolus ille ſuperbus largiebatur, inutiles certè diuitias & infœcundas, & quibus abundantes, fame nihilominus poſsint interire. Quemadmodum ille preces auro emebat, & cum opulentiſsimus eſſet, cibi tamen inopia periȷt. Verùm neq; Solon Crœſum omnium hominum beatiſsimum dixit, ſed Athenienſem tantùm hominem, & Argiuos adoleſcentes, ac nihil minus quàm Crœſum. Regem uerò illum fœlicem, ac fortunatum iudicauit, cui eæ diuitiæ ſuppetunt, ut iuſtum exercitum alere poſsit qualem ſcilicet ne Romanorum quidem Imperium ad Tigrim uſque fluuium progreſſum. Noſter autem Rex magnam hanc urbem alit, ac numeroſum hunc populum: nec ſolùm alit, uerùm etiam priore otio malè affectum, & egentem præclarè ſuſtentat. nec eo contentus commeatum etiam auget,

cum

cum tamen ſatis habere poſſet nihil de præſentibns bonis imminui. Non igitur opus eſt, ut uſu ciuitatis, quòd ea ſit Metropolis, peregrinos arceamus, id quod eſt certè remedium inopia acerbius. Verùm huc quotidie nemine prohibente confluũt omnes, bonorũ ſuorũ copiã quandã importãtes, liberè certè ſuoq; arbitrio illa uſuri. Hoc igitur unum eſt ex operibus Regis, in quo & temporis, & perſonarum, de quibus benemereri ſtudet, ratio habetur. Quare à uobis exiſtimo ſublimè aliquod dicendi genus, & omnibus numeris abſolutum, plenamq; artis eloquentiam, quæ tam præclaras res exornare poſsit, requiri, & expectari. Sed neq; hęc uos oculis intueri poteſtis, neque urbis ipſius ambitum dimidio maiorẽ contẽplari, quod certè nobis inexplicabilem attulit lætitiam & uoluptatem. Pręterea neq; uacuæ ædibus partes quæ intra mœnia ſunt, ijs cedunt, quæ ędificiorum magnificentia & mul

titudine excellunt. Necꝫ intra mœnia ſpatium maius colimus, quàm incolimus. Non ullis montibus noſtræ ciuitatis ſplendor, & elegantia intercepta, aut diſtracta eſt: ſed uniuerſa repleta, & inſtar pepli auro, & purpura ad extremas uſque partes uariè picti intertexta. Regis aula balneis, porticibus, & gymnaſijs maximè inſignis. quæ autem erat infima pars, ea reliquis ueluti oculus longè illuſtrior enitet. O uerè pater, & fœlix Cõſtantine. An non iã intelligis urbem è uacua ac propè inani, ſplendore atque elegantia ornatiſſimam à Rege effectam eſſe? Cuius pulchritudo uera quidem, ac ſolida, nec adumbrata eſt. Neque uerò publica augentur priuatorum opibus corruentibus, ſed ſimul uniuerſa ciuitas ueluti animal aliquod creſcit. cumꝫ una omnes contineat, Regis exemplo edocti omnes unà conſpirant. alius ueſtibulum ædificat, alius thalamum, alius uirile diuerſoriũ, alius triclinium ſeptẽ

aut

aut nouem lectis magnificè inſtituit, alius parietes, ac pauimenta Laconico, aut ex Lybia, & Aegypto aduecto marmore exornat. Ex quo fit, ut Menelai ædes, quarum parietes ære, atque argento extrinſecus illiti erant, procul dubiò ædificijs noſtris cedant. Quin etiam ſuburbia ipſa eadem dignitate, qua urbs ipſa, ſunt inſignia. Vrbs à mari alluitur, ubi nauali pugna aliquā do fortium iuuenum præclara facinora enituere. Præterea referta eſt fabris, ædificatoribus, architectis, omnis generis opificibus, & ijs, qui uariè opera exornare ſolent. Ex quo fit, ut uerè hanc magnificentiæ officinam poſsis appellare. Quòd ſi quotidie Rex huius deſiderio magis ac magis accendatur, futuro anno maiore certè ambitu nobis eſt opus. Quòd ſi factum fuerit, iam in controuerſiam ueniet utra urbs maior, ac illuſtrior ſit, illa ne, quam Theodoſius ciuitati Cōſtantini adiunxit, an illa, quàm Conſtantinus addi-

dit ei, quæ Bizantis opera fuit extru-
cta. Ego certè ò uiri optimi ſi mihi per
ingraueſcentem iam ætatem liceat, diu
turniore uita frui uellem, neque id ſa-
nè fruendæ illius uoluptatis cauſa: iam
enim omnes euanuerunt: id quod mi-
hi iucundum eſt, ſed ut tertiam urbem
ſpectarem, quam princeps noſter non
multò poſt tempore priori adiunget:
quòd tamen non deſpero fore, ut ali-
quando uideam, præſertim cum Rex
malorum meorũ depulſor ſit, meamq;
corporis imbecillitatrm mirificè adiu-
uerit. Noſtis enim ò amici qua ratione
me denuo ad Muſicæ ſtudium horta-
tus ſit: ex quo certè plus utilitatis per-
cepi, quàm ex ipſis Hippocratis medi-
camentis. ingredior enim firmius, quã
antea, uox facilè ab uno quoq; exaudi-
ri poteſt, nullum cibi, aut potus faſti-
dium, unà cum ipſa animi alacritate, &
ſolertia corpus pubeſcit, ac uiget, ſene
ctus etiam recedit. Quare non erit mi-
randum ſi tali ualetudine alias apud
uos

uos habuero orationes: Neque enim hæc futura eſt omnium poſtrema, aut illi cantilenæ ſimilis, quàm Cygni in Apollinis honorem, cuius miniſtri ſunt & interpretes, mortis diem præuidentes miſerabiliter emittunt. Sed erit certè aliquādo, cum ipſe Muſarum dux Apollo, ſuauioris cantilenæ tempus mihi largietur. Medeæ profectò Colchicæ pharmacis, Peliæ filiæ deceptæ ſunt, cum illa polliceretur ſe ipſarum patri iam ſeni, ac ætate prouectiori iuuenile robur medicamentis reddituram. Me uerò Rex ad ueram, ac ſolidam firmitudinem reducit non hiſce tantùm, quæ quotidie eriguntur ædificijs, ſed quòd ipſe in dies ſingulos magnitudine uirtutū cumulatur. ipſe omnium genere laudis, atq; honoris augetur. ipſe honis atque honeſtis rebus quotidie maior fit atq; præſtantior, atque id quia & libenter audit, & promptè aliorum ſermones excipit, eaq; ratiōe fit doctior & eruditior. propterea

mētem meam exſuſcitat, prouocat, & incitat. neq; me in torpedinem, aut ſomnum patitur delabi, nec ex diuturno ocio oſcitare. Sed defatigatum iam & languentē ueluti probatum aliquādo militem, rurſus ad conſcribendas orationes reuocat & inflammat, præclara mihi certè ſuppeditans argumenta, atq; arti non mediocre adiumētum ſubminiſtrans. Quæ cum ita ſint, ego non ambitione certè, neque ullo gerēdorum magiſtratuum ſtudio, ſed incredibili meo erga Regem amore incēſus, quo eum oſtendam eadem quæ diuinus Plato de humana fœlicitate cogitare, me ipſum ad Reipub. adminiſtrationem conuerti. Quòd autem neque Regis ſententia, neq; Platonis præcepta poſsint reprehendi, id ego non dicam, aliorum erit hæc diſputatio. Ego uerò non ea ſcribam in tabula illa, ſed in alia longè maiore ac perfectiore, in cuius poteſtate reliquę ſunt: quam nō ij, qui ex ebore, auróue opera conficiunt,

ciunt, ediderunt, ſed Regis ſtudio atq; opera facta eſt, uel potius ipſa ſacra ſacro partu edita, & repentè perfecta, omnibusq́ue numeris abſoluta. O dignum qui ab omnibus ameris, qui q; omnium uotis expetaris. O uenerandū, colendumq́ue ab ipſis incunabulis ac faſcijs: cuius quidem corpus adoleſcit, gloriæ autem amplitudo nullis terminis concludi poteſt. quem mihi pater prius, quàm ad Occidētis oras proficiſceretur in manus tradidit, ſpectante uniuerſo populo ac ſenatu, mandauitq; ut eius curam gererē, ingeniūq; optimis diſciplinis, ac ſanctiſsimis moribus excolerem. Id autē mihi oneris impoſuit, quem ſciret ad mouendū clypeum, aut ad uibrandam haſtam parum aptum: funda item & arcu neſcire uti, ſed pannoſum, attrita ueſte indutū, præ ſenio, ac imbecillitate incuruum. Et profectò, uir ille alias quidem diſciplinas Regi, alias priuato, alia ſtudia Cēturioni, alia ei qui maris ac ter-

ræ princeps futurus eſſet, conuenire ar bitrabatur. Huc igitur accede ô chare puer, in meis inſide genibus, ut eas tibi diſciplinas deguſtandas tradam, ijsq́ꝫ te educē, non cuiuſmodi dicitur Phœnix Achillem nutrijſſe, cum cibum & obſonia miniſtraret, ſed ea prębeam alimenta, quæ ſolis Regibus adhuc adoleſcentibus & Reipub. adminiſtrādæ nondum, ius adeptis, philoſophia ſuppeditat: fructuoſos ſcilicet, magnificos, atq́ꝫ utiles ſermones: Itemq́ꝫ pręclaras ueterum Principum res geſtas, in quibus educatus fuit Cyrus ille magnus, & doctiſsimus ille Romanorum rex Numa Pompilius, & Marcus Imperator certè inſignis, & Titus generoſus, cuius memorabile illud dictum celebratur: ego hodie non regnaui, nemi nem enim beneficio affeci meo. Adiuuabit autem me in primis in te inſtituē do egregius ille Plato, & admirabilis Ariſtoteles, qui magnum illum Alexādrum inſtituerunt, & humili loco natum

tum

tum totius orbis Principem reddide-
runt. Quòd ſi te hi educarint, ac more
nutricum nutrierint ô literarum atque
eloquẽtiæ præſidis Mercurij alumne
ſatisfiet propediem parẽtum tuorum
uotis. Patre hic certè longè præſtan-
tior eſt futurus, qnando patris ueſti-
gia imitans, æquiora ac maiora iam pri
dem animo ac mente euoluit. quo tem
pore tibi mater gratulabitur non mo-
dò cum è prælio hoſtilibus ſpolijs o-
nuſtus redieris, uerùm etiam cum con
ciones habueris, leges tuleris, ius dixe-
ris, & iuſtitiam ſociam tibi, actio-
numqúe omnium tuarum con-
ſciam adiunxeris: quæ etiam
prima in regia aula aſsi-
dens omnia regit,
ac mode-
ratur,

IN EIVSDEM ORATIOnem ſeptimam qua Nicomedienſes ad philoſophiam adhortatur.

ARGVMENTVM.

HIERONYMO DONZELlino interprete.

N*Icomedia Conſtãtini Cæſaris tempeſtate, in Aſia minori, Bithyniæ ciuitas percelebris fuit, in qua etiam Iulianus Imperator, qui poſtea fuit Apoſtata ſacras literas profeſſus eſſe dicitur. Cum itaq; Nicomedienſes Sophiſtarum ſeu Rhetorum lenocinijs & orationum illecebris ac ornamentis tantùm dediti uiderentur, ex quibus ſolam animi uoluptatem atq; oblectationẽ, nullam autem morum probitatem aut ſolidioris eruditionis fructum conſequerentur, conatur Themiſtius ſua oratione ad philoſophiam eos traducere. Exorditur autẽ ab extenuatione & ſenſim illabitur in animos illorum, beneuolentiam inde captans, quòd uehementi quodam ac puriſſimo erga illos amore ſe dudum affectum dicit, à quo ceu quodam numine ita ſe impelli ac incitari ad beneficium illis impartiendum, ut quamuis aliorum longè uenuſtioribus ac iucundioribus orationibus quàm ſuæ ſint deterreatur, nihilominus ſingulari ſua in illos uoluntate atque animi propenſione ita ſe rapi, ut ſibi temperare minimè poſſit. Ne autem ab illis delicationibus orationibus iam aſſuetis exibiletur & explodatur, non à ſeuerioribus Muſis ac ſola philoſophia, ſed ab ipſa etiam Rhetorica orationem ſuam*

ſuam ſe deprompturum profitetur, atq; utriuſque imaginem deſcribens, non alteram ſeorſum, ſed ambas ſimul illis propoſiturum ſe dicit. Mox de Venere & Cupidine *fabulam quandam narrat, qua eos, ut purum philoſophiæ amorem concipiant ſi fructum aliquem ab ea conſequi cupiunt, hortatur: & latenter* Sophiſtas *carpit, qui in orationum luminibus & pigmentis occupati, ſolam rerum ſpeciem aucupantur, ſolidiorem autem diſciplinam penitus aſpernantur. poſtremò multa ex* Homero *afferens argumenta, ab* Achille, Neſtore, *&* Vlyxe *qui tanquam heroes celebrantur, probat animi uirtutem ac diſciplinam rebus omnibus præferendam.*

THEMISTII PHILOSOPHI ORATIO SEPTIMA, *ad* Nicomedienſes.

CVM olim Prodicus & Gorgias Athenis philoſophiam profiterentur, erant tamen, qui Socrati Sophroniſci filio haud temerè operam darent: cum Prodicus & Gorgias magnificas, & ad gratiam paratas orationes oſtentarent, & ob id etiã ab auditoribus mercedem exigerent: Socratis autem ſer-

mones ſimplices eſſent cõmunes ac mi nimè meditati nullaq́ꝫ uarietate, aut artificio expoliti: quippe qui etiã libẽter ei pecuniam dediſſet, qui ſeſe ad illius diſciplinã contuliſſet. A uobis autẽ peto & quæſo ut attentè me audiatis, etiã ſi non admodũ iucundis gratisq́ꝫ muneribus quæq́ꝫ aurium ueſtrarum ſenſum permulceant, uos excepero: cuiuſmodi ſunt ea quibus uos ſæpe cum in unum locum cõuenitis permulceri cõſueuiſtis. Et ob id eos à quibus conuiuio excepti eſtis, amatis, quando & ipſi lepidi, feſtiui, atq́ꝫ humani, & apparatus lautus ac minimè ſordidus fuit: imò Syracuſana ſemper uel Sicula menſa appoſita, multa ac uaria uoluptatũ genera excogitant, dum alij cantilenã aliquam patriam, alij Aſſyriam canũt, & thus proferunt atq́ꝫ odores, ac ita interiore exterioreq́ꝫ harmonia, uobis in unum collectis gratificantur. Quòd ſi uos fortè aliqua eiuſmodi ſpe allecti, huc conueniſtis diſcedite quæſo, neq́ꝫ

fruſtra

fruſtra moleſtiam hanc ſuſtinete. At ſi eiuſmodi uos præſtiteritis, ut Lycurgi conuiuium aut menſam ne aſpernemini, fortaſsè uos excipiam, ſi nõ ſumptuoſis muneribus, ſaltem magis ſalubribus: quę non ſolùm admirationem mouere poſsint, uerùm etiam ijs, prodeſſe qui ea fuerint admirati. ſunt enim noſtræ etiã orationes ex Ioue, & Mnemoſyne procreatæ quemadmodũ argutæ illæ, ac iocoſæ. Atq; hæ multum à ſororibus differunt: quod autem ſit diſcrimẽ ſi me audire uolueritis, uobis explicabo, modò uos nugatorem me, aut loquacẽ aut temerè à propoſita re aberrantẽ nõ exiſtimetis. Hæc igitˊ noſtrarũ orationũ pręcipua eſt uirtus, liberæ enim ſũt atq; apertæ, & hoc etiã à patre ſunt cõſecutæ, ut non unam eandemq; uiã neceſſariò ingrediantur: ſed ſi qua alia à priori diuerſa melior illis fuerit uiſa, illam arripiant, neq; tamen propterea dicãtur à propoſita re ab errare. Verùm hoc modo facilè qua in

re differant intelligetis. Omnia quæcũq; ui fatali adſtricta ſunt, & naturæ imbecillitati parent, duobus potiſsimum uidentur egere adiumentis, ab aſſidua ſcilicet laborum moleſtia, ocio ac requiete, & cultu ac diligentia, ne deteriorem in ſtatum lapſa, penitus corrũpantur. Eadem ratione exiſtimamus animum orationibus tum ijs quæ deſeſſum ipſum reficiant, tum ijs quæ excolãt indigere: ex quo fit ut aliæ in hoc Muſarum theatrum ingreſſæ (id autẽ quam ſæpiſsimæ faciunt) arrideant, & adulentur, circunfuſéque, ipſum ſpectatorum præfectum amplectantur: aliæ uerò domi ferè ſe contineant, priuatimq; operam ſuam alteri præſtent: quas tamen ſi fortè quis Deus in concionem produxerit, repentè & auſteræ ſunt & iniucundæ, atq; adeo ab adulationibus alienæ, ut ſæpe ſpectatores obiurgent ſi quid fortè in ipſis uitij deprehendant. Ego uerò cum apud philoſophos, & plerunq; etiam ſanę atq;
inte

integræ mentis uiros uerba facturus ſim, ſapientes medicos imitabor, qui ęgrotis amaras potiones propinaturi, extremum calicem melle oblinũt. Vobis quoque me facilius perſuaſurum puto, ſi iucunda ac uoluptatis plena oratione, medicinam adhibere tentabo: aurigę illius more qui habenis currum regit ac moderatur, cum interim à flagello & ſtimulis prorſus abſtineat.
Quid igitur proferam quod ſimul nobis & utile ſit & iucundum? cogor enim talem me apud uos oratorem præbere. cur autem cogar accipite. Fuit ne ſcio quis Deus, qui cum me huic ciuitati addixerit, iniecit mihi honeſtũ hoc deſiderium, ut meis prorſus rebus neglectis (id quod à plerisq; ueſtri amantiſsimis fieri neutiquam ſolet) nunquã ocioſus ueſtrarum rerum curam geram, neq; tamen huius ſubleuandę cauſa amariora adhibeam pharmaca, ne fortè ab ijs, qui noſtra opera indigent, inſuauitate illa commotis, reijciamur.

Quòd ſi ego unus ueſtri amore captus eſſem, poſſem certè liberius ſentētiam meam exponere, & de meis amoribus ac delitijs meo quodam iure gloriari: neque enim uererer, ne alterum mihi præponeretis. Nunc autem intelligitis uos à multis coli, mihiq́ illam uerborum iucunditatem & gratiam qua uos allici ac teneri uideo, prorſus deeſſe: atq; ita ut nos grauiores ſeuerioréſque contemnatis. Quæ tamen cum ita ſint cogor ea uobis explicare, quę omnino ſtatueram reticere. Non eſt philoſophiæ Regia delitijs aut uoluptatibus uacua, neque longius à Muſęo noſtro habitant Deæ: neque unquam uobis chorū honeſta uoluptate uacuum oſtēdemus. Sed Venerem Muſis ſemper coniungemus: ſunt enim ſorores, mutuamq́ hanc ſocietatem mutuò colūt. Vt autem facilius quanta, & quæ ſit harum Dearum coniunctio cognoſcatis, breue quoddam orationis genus uobis adhuc ignotum & abſtruſum proferen-

ſerendum cenſeo. Duo inſunt nobis orationum genera, duæq; ipſis ſedes ſunt conſtitutæ, animíque inter ſe domicilia diuiſerunt. Aliæ quidem à rhetorica aliæ à pulcherrima, ac præſtantiſsima philoſophia ſua capiunt alimẽta. Quòd ſi ipſas orationum matres, & quæ ſit utriuſque natura, uultis cognoſcere, ea lineamenta quibus ludentes pueri, cuiuſque imaginem informant intueamini, facilè enim illud intelligetis. Eſt igitur philoſophia grauis quidem aſpectu, corpore autem procera, & magna, ueſtitu ſatis conuenienti induta, cuiuſmodi pictores uirtutibus philoſophiæ ſocijs affingunt. Comæ neque prorſus ſolutæ, aut incompoſitæ demittuntur, ut huc atque illuc uolitare aut fluere permittãtur, nec tamẽ ornatu uario ſunt implicatæ, ſed inter modeſtiam & luxuriam mediocrem quandam elegantiam tenent. Cum enim philoſophia naturalem quandam pulchritudinem nacta ſit, quæ quę nul-

lo orationis genere explicari poſsit, omne externum aduentitiúmque ornamentum prorſus reijcitatque aſpernatur. Neque enim oculos fuco illinit, neque artificioſo rubore genas colorat, ſed efflorescit in illius facie rubor quidam modeſtiæ plenus, aſpectus uerecundus, atque ita, ut illi etiam qui in eam intuentur, pudore detineantur. Illud autem ſæpe accidit, ut plerique ex improbis perditíſque hominibus, boni & modeſti facti ſint, atque id, quia unam hanc Deam, ſemel ſunt contemplati. Teſtis erit Polemo Atticus, qui cum antea in commeſſationibus, tibiarũm cantibus & uino ætatẽ tranſegiſſet, ut primùm tamen Xenocrati philoſopho operam dare cœpit, euanuerũt quidem tibiæ, comeſſationes & impudicus ac uenereus amor è Polemonis animo deletus, prorſus ſublatus eſt: quorum loco caſtiſsimum atque ſanctiſsimum philoſophiæ amorem concipiens, deſiderio ac ſtudio tãtùm profecit

fecit ut in diuinis ſacris, eius nomen ce lebretur. Rhetoricæ uerò imago (nam & hanc intueri uultis) præclara quidem, ac pulchra, quæ tamen ſua ipſius natura non cōtenta, ſæpe externa quærit ornamenta. Huius corpus multo ac uario ornatu tectum eſt, Græcis ſpectaculis delectatur, & pueros atque adoleſcentes ipſos in teneriori adhuc ætate uerſantes ad populares conciones aſſuefacit. Hi uerò adeo legitimi matris ſunt filij & ſaltationum ſtudioſi, ut aliquando matribus ſeiunctos in uicem atque permiſtos, admirabilem quendam chorum & cuiuſmodi à muſis dicitur celebrari, ſimul agere perſuadeant: quòd ſi unà miſceri ac ſimul ſaltare noluerint, iacturam faciunt, ac pari utrinque damno afficiuntur. Chorus quidem eorum qui philoſophiæ filij ſunt, grauitatis plenus, nullius uoluptatis aut leporis eſt particeps. Alter nullo modeſtiæ fræno coercetur, quare ſępe omni decoro ſublato immode-

ratè furit ac debacchatur. Ille certè omnium pulcherrimus futurus eſt chorus, cum ſimul coniuncti fratres, cum uoluptate modeſtiam ſeruarint. Quarum uobis rerum ſpectaculum ſæpius daturos ſe pollicētur: cuius tamen ſtudij, ac promptæ in uos uoluntatis, mercedem nullam poſtulant, non aurum, non gloriam: neque enim auari ſunt, aut ambitioſi, ſed ſynceram quandam beneuolentiam, mutuumq́ amorem petunt. Me quidem non amplius audiunt, neque fieri poteſt, ut uos pari, ac mutua illos beneuolentia proſequamini: me tamen hortantur & iubent, ut aliquã apud uos habeam orationem, quàm ego iam antiquam ualde & ſtudio apprimè dignam aggredior. Nos enim id quod noſtis, fabulis oblectamur, atque ita, ut cum nimium fortaſſe antiquarum fabularum ſtudioſi ſimus, ſæpe nugatores habeamur. Cum olim Venus Cupidinem genuiſſet: & ſi alioqui formoſus erat puer & matri

ſimi-

ſimilis: tamen cum ad eam magnitudi, nem quæ digna eſſet formæ illius pul, chritudine non augeretur, nec iuſtam amplitudinem corpus acciperet, ue, rum diu eadem prorſus qua natus e, rat mole permanſiſſet, & ob id Mater & Gratiæ nutrices infantis, in tanta cõ ſilij inopia Themin conſuluiſſent (nõ, dum enim Apollo Delphos tenebat) atq; ab ea remedium ſibi aliquod tam mirandæ atque incredibilis calamita, tis dari poſtulaſſent, reſpondiſſe The, mis dicitur. Ego uerò tanta uos ſolici, tudine liberabo. Neque enim infantis naturam noſtis. Amor ô Venus, ue, rus inquam ille ac ſyncerus, ſolus for, taſsè naſci poteſt, ut ſolus autem cre, ſcat fieri non poteſt. Quare ſi Erota a, morem ſcilicet uis adoleſcere, Antero, ta alterum ſcilicet reſpondentem illi a, morem te procreare ac parere oportet. Erit autem hæc utriuſque fratris natu, ra, ut alter alterius incremẽti ſit cauſa. Intuentes enim ſeipſos pariter atq; æ,

ęqualiter augeſcēt & quidquid de uno diminutum fuerit, id de altero detrahetur. Hoc oraculo edito, Venus alterū amorem concepit ac genuit, atq; ita repente Cupido creuit, alas emiſit, procerior factus eſt: & cum in hac ſtatus mutatione conſtitutus ſit, admirabiles affectiones per ſæpe etiam patitur. Interdum enim floret, interdū tabeſcit, rurſus augeſcit, ſemper autem fratris præſentia uidetur indigere, quē ſi magnum uideat, ipſe quoque id ſtudet, ut maior fiat: quòd ſi paruum ac breuem, is etiam ſæpe, inuitus tamen concidit, & contabeſcit. Hîc uos fortaſsè exiſtimatis, aliquid me grauius ac ſerium dixiſſe: Ego autem dico orationum ſtudioſos eſſe debere, atq; orationum deſiderio teneri eos, qui & orationes ipſas uberiores, ornatioréſque fieri, & earum erga ſe amorem uoluerint augeri. Quòd cum ego ita ſperarem fore, Deum excepi, animoq; meo collocaui, pollicitus ei, cum primùm ad me acceſsit,

ceſsit, eius fratrem unà adfuturũ, quò ſuis delitijs frui poſsit. Quam pollicitationem meam, non patiar inanem eſſe. An putatis à me aliud hoc tempore deſiderari? num uaſtum hoc mare atque immenſum? at ego non minus à maritimis rebus quàm Archadici milites ſum alienus: aut quàm Phrygię fluuius ab humanitate abhorret. Nilum quidem Egyptiũ admiror, non quòd ſegetũ ac frugum parens ſit, ſed quòd per Egyptiorum ſapientiſsimorũ hominum regionem fluit. An magnitudine uicini huius lacus delector? cur itaque Mæotida paludem, cuius longitudo, ad ſex millia ſtadiorum extenditur non deſideraui? ob id ſcilicet, quòd à rudibus, ac barbaris prorſus hominibus colitur. Magna enim extant maiorum ueſtrorũ monumenta, quæ etiam aliquis ex ijs, qui ea admirantur illuſtriora, ornatioraq́ reddet, additis admirabili pulchritudine balneis, theatris, & Hippodromis. Sed ô amici, a-

liud quiddam eſt (neq; enim debeo id uos celare) quòd amorem hunc excitauit. Nam quædam animi magnitudo maximè uirilis, & patria animis ueſtris ineſt. Neque enim ego dignum eũ puto, qui à nobis ametur, cui deſint animi ornamenta, etiam ſi is externis bonis multis, iiſque uarijs bene ornatus alioqui ſit, mihi enim ſimilis hic uidetur graculo illi, cui fabula pauonis tribuit plumas, in eo certamine in quo de pulchritudine contendens, alienũ ſibi ornatum uendicat, cum ſuo ipſius proprio careat. Nec uerò is ad ſe amandum ea ratione allicere nos poſſet, ſi ornatius habitaret, quã ipſe rex Spartæ, ueſtes etiam araneis tenuiores indueret, cuiuſmodi fuiſſe uincula Vulcani Homerus ſcribit, quæ & ſi oculis cerni non poſſent, intemperantiſsimos tamen homines conſtringebant, atque ita ut à nemine perfringi poſſent. Multo uerò minus ſi quo alio magnificentiore ornatu uteretur, formámq; oſtentaret,

taret, qualem ego imaginem Perſicam, regis cuiuſdam Perſarum ſum conſpicatus. Adoleſcens eſt formoſus, in regia ſede cōſidens, hyacinthina & ſmaragdina tiara coronatus, torquem habens non diſsimilem & magnum, purpuream lænam auroq́ue diſtinctam ferens. Quam tamen imaginem ſi quis conſequatur, nihilo tamen honoratiorem eum ornatu, apparatúq; illo arbitraremur. Verùm quidnam iniucundius eſt, quàm cum animæ particeps eſſe uidearis, eorum tamen operum, quę fingere ſolent pictores, ſpeciem ac ſimilitudinem præ te ferre omnes uident: quæ quidem tanquam uiua, & mente prædita ſint, uidentur omnibus uelle oculos aperire: quod ſi quid interrogare aut diſcere animus fuerit, muta prorſus & ocioſa hærent & conquieſcunt. Hūc igitur ego hominem, nullo prorſus loco habendum puto, neque item eam ciuitatem, in qua non multa ſint Muſarū, Mercurij, & Apollinis tem-

pla,etiam ſi theatris,balneis, & infelicium equorum curriculis abundet. Neq; enim unquam uos tam amanter complexus eſſem,niſi ſummo,eximióque uirtutis amore, captos eſſe intelligerem.

Duo hic uerſus deſiderantur:qui in Græco exemplari, uſque adeo ſunt corrupti,ut legitimum ſenſum nullum reddant.

Quemadmodum igitur ut ego quidem arbitror eum hominem probum dicimus,non qui multos agros, multa ædificia,multas ueſtes,& calceamenta poſsidet,aut ad pretioſam menſam aſsidet,aut in aureis poculis bibit, ſed qui mente ac ratione præditus, ſe totũ ad optimarum artium ſtudia conuertit: Sic neque illa ciuitas beata eſt habẽda, in cuius foro omni delitiarum genere refertiſsimo, multa uenalia uideas,& frequentem ebriorum multitudinem,argentum præterea copioſum & aurum in menſis nullo fructu illic poſitum: ad hæc apertas theatrorum por-

portas,& aſsidua bellicoſorum equorum certamina. Sed quid ego bellicoſos appello, qui iuſtius belli ipſius auctores dici poſsint? talem certè ciuitatem & putridam, & intus ægrotare exiſtimo, etiam ſi exorientes clàm tumores aliquando minus appareant, & pleriſque qui illius tantùm ſpeciem intuētur beata uideatur. Effloreſcentibus uerò, & erumpentibus illis tumoribus iure de ea illud Sophoclis dici poteſt.

Ciuitas & ſuffimentis referta ſimul,
Simulq; pæanibus, atq; ſuſpirijs,

Phocilides autem cum reliqua optimè dixit tum uerò illud maximè.

Vrbs parua cum prudentia in ſcopulo ſita;
Inſana præſtat Babylone Nini Regia.

Illud autem mihi potiſsimùm expetendum uidetur, ut terra ueſtra uberiores ex ſeſe, & præſtantiores reliquis fructus gignat, maximè uerò ut animi ueſtri præclara eruditione atque doctrina exculti ſint, quam Muſæ ex Apollinis pratis collectam, in optimarum rerum

ſtudioſis ac honeſtis hominum ani-
mis imprimunt, atque inſculpũt. Qui
ſi illarum chorum, ac tanquam examẽ
receperint, repentè emiſsis alis, negle
ctiſqúe hiſce caducis & mortalibus re
bus, cœlum ambiunt, & diuina atq; im
mortalia cogitant. Et hi ſunt animi illi
de quibus inquit Euripides:

Neque ad ciuium detrimenta neq; ad negocia
Iniqua, appellunt animum: at expertem ſenij,
Naturæ immortalis ornatum conſpiciunt.

Reuera enim, ueræ ac perfectæ uirtu
tis aſpectus mitis eſt, humilis ac beni-
gnus, quæ tanquam in tempeſtate, &
pulueris ac uentorum procella, firmo
ac ſolido muro munita eſt: uel potius
ipſa ſectatores ſuos uallo ueluti quo-
dã omni adamente duriore ſepit: quod
neq; uiolentus iniurię impetus, neque
doloſæ uoluptatum illecebræ, facilè lo
co dimouere poſsint: cũ incertos quo-
que ac uarios fortunæ ictus præclarè
ac fortiter ualeat ferre ac ſuſtinere. V-
nus enim hic murus, uerè ab Apolline
ipſo

ipſo erectus eſt: non Troianus ille, ne que enim tam facilè, aut tam leui dolo à Græcis captus eſſet. Quare ne audiamus Homerum dicentem, Apollinem & Neptunum promiſſa ſibi à Laomedonte mercede, turres ac mœnia extruxiſſet: itémque commemorantem factum illud Deorum gratuitum: propterea quod ipſa Troia, igni & aqua ædificata eſt. Moueantur illius carminibus uerè poëticis & argutis infantes pueri. Illa potius probemus, in quibus inducit Agamemnonem Regem præcantem à Dijs immortalibus, ut decem ſibi ad ſint non bellatores, cuiuſmodi Achilles erat, ſed conſiliarios Neſtoris ſimiles: qui cum admodum ſenex eſſet, ad gerenda prælia minimè aptus erat aut idoneus, atque ita erat ſenio confectus, ut ſuillum lorum perfringere uix poſſet. Homerus mea quidem ſententia, prudentiam fortitudine præſtantiorem arbitratur, magisqúe ex

petendam uim illam animi, quæ diſciplina atque eruditione paratur, quàm eam quæ nobiſcum innaſcitur. Ita Neſtoris omnia & dicta & facta, Agamẽnonis uotis prorſus reſpondent: Achilles autem fortis ac generoſus, fraxineam haſtam uibrans, & immortalibus equis uectus, qui tres ac uiginti oppida ceperat, cum tamen à diſciplina adhuc alienus eſſet, Phœnici non admodum obtemperabat: ſed ablata captiua puella mœret: abiectusqúe ac proſtratus, propter neceſſarium ac fatalem amici interitum, prohibetur à ſuis, quò minus tanquam furens uiolentas ſibi ipſi manus iniiciat. Ad hæc amici cadauer auro redimit, multáque alia temerè facit, atque inconſideratè. Quare apertè oſtendit Homerus, neque generis ſplendorem, neque corporis robur, neque celeritatem pedum, neque formæ excellentiam, niſi cum prudentia coniuncta ſint, magnam aliquam utilitatem afferre.

ferre. Quæ tamen omnia, & ſunt illuſtria, maximéque inſignia, ſi doctrinæ ornamenta accedant: ſin minus, animi uitia, & improbitas magis declaratur. Neque uerò altera poëſi ſua, & alterius philoſophi tam præclarè ac fortiter fortunæ ictus repellentis exemplo, aliud mea ſententia ſignificare uoluit poëta, quàm prudentiam uniuerſamqúe uirtutem inexpugnabilem prorſus, inuictamqúe eſſe, neque eum, qui illa præditus ſit, parum uiriliter aut oculis ac uultu demiſſo incedere, ſed Vlyſſem imitari ad Nauſicam proficiſcentem. Cum enim ille nudus ac ſolus ex tempeſtatis periculis euaſiſſet: quia tamen uirtutem communium ueſtimentorum loco induerat, Regis filiam adijt, mendico inquit haud ſimilis, neque in ſupplicis alicuius, aut ueluti malum aliquod metuentis habitum formatus: talem autem imaginem excogitauit, qualis à pictore uirtuti ipſi attribui poſſet. Monti-

cola ingreditur ueluti leo robore fretus. Robur autem erat ratio, quàm fortuna non potuit adimere, cum tamen pecunias, naues, milites, & poſtremò tunicam, ex quibus Vlyſſis ingenium minimè pendebat, ademiſſet. Illis itaque amiſsis, nihilominus tamen fortitudine confidebat.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

22
14
52
34
———
122